Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

August Varenius

Rationarium Theologicium De Scriptoribus Ecclesiasticis, Seculi II. : Sive genuinis illis & sanctioribus, sive dubiis, vel tantae antiquitati, Pontificiorum, inprimis, sciptorum fraude, in retinacula, Papatus, ex ipsa vetustate asserendi, ingenti, crimine falsi suppositis : Publice propositum in Acad. Rostoch. A. O. R. MDCLXXIII

Rostochi[i]: Richelius, [1673]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910760

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

RU theol. 12.Juli+ 3.Aug.
1673
Varenius, Aug.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910760/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910760/phys_0003
DFG

RATIONARII THEOLOGICI
DE
SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS,
SECULI II.
DISSERTATIO IV.

Exhibens

S. *Theophilum Patriarcham Antiochenum* (qvoad 4. libros Commentariorum in Evangelistas) *Tatianum*, *Hegesippum*, qvæq; sub antiqvis illis Nominibus sive olim extiterunt, & interciderunt, sive nunc incedunt, etsi olim non extiterunt, sive & olim extiterunt, & ad nostra tempora pervenerunt, ac de illis adeo & libro de transitu Mariæ, ἐπίκριτον Theologicam,

Quam

MODERATORE S. SPIRITU
PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO, D.

Sereniss. Duc. Mekleb. Consistorii Assessore & Professore Theologo, Collegii Theologici h. t. Decano.

d. XII. Julii horis ab 8. antemerid.

In AUDITORIO MAGNO

publicæ collationi Academicæ submittet

ÆGIDIUS von Thienen/ Rostochiensis.

Rostochi PRELO RICHELIANO.

Universitäts Bibliothek Rostock

1673

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910760/phys_0005

VIRIS

Magnifico, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis Excellentissimis,

DN. HERMANNO Lembcken/

J. U. D. & Codic. Profess. Ordinario famigeratissimo, Amplissimæ Juridicæ Facultatis Seniori, ac civitatis hujus Syndico meritissimo

DN. THOMÆ Schmidten/

J. U. D. Consistorij Sereniss. Ducum Mekleb. Procuratori & Advocato celeberrimo

DN. AUGUSTINO Wolff/

J. U. D. & Practico solertissimo

D. D. D. Cognatis, Adfinibus, Patronis, atqve studiorum meorum Promotoribus, singulari pietate, filiali observantia ac nullo non honore ætatem prosequendis

Hasce studiorum Academicorum primitias, in ulterioris favoris continuationem & grati animi contestationem.

Do dico consecro

ÆGIDIUS von THIENEN,
Rostochiensis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910760/phys_0006
DFG

RATIONARII THEOLOGICI
De
SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.
SECULI II.
APPARATUS.

§. 1.

Seculum hoc exorsus Bellarminus: *Post Apostolica*, inqvit, *tempora primus eorum, quorum Scripta ad nos pervenerunt, videtur esse S. Justinus Philosophus & Martyr.* Scilicet non absolutè *primum scriptorem Ecclesiasticum* nominare Bellarminus voluit: sed κατὰ τί, secundùm qvid & sub duplici limitatione & respectu, uno ad *tempora Apostolica*, altero ad *nostra*, ac adeo *primus scriptorum* illi videbatur (1) *post Apostolica, tempora*. (2) qvorum ad nostram usqve ætatem perennarunt, & *ad nos adeo pervenerunt scripta*; unde nec *post Apostolorum*, inqvit, *scripta*: sed *tempora*. Apparet illud ex Δοκῷ scriptorum Ecclesiasticorum seculi I. deductione Bellarminianâ, in qvâ, post Apostolorum & Evangelistarum Canonica, non solùm inter Ecclesiastica, qvæ ad nos ex seculo I. pervenerint, scripta, numerat 50. Canones Apostolorum, Epistolam S. Polycarpi ad Philippenses, S. Ignatii septem epistolas priores, imò opera Dionysii Areopagitæ tot ac tanta (*de quibus Viri docti & Catholici nihil dubitent*) sed & *librum Hermæ discipuli Apostolorum celebrierem*, S. *Ignatij quinq; Epistolas nunquam vel Eusebio vel Hieronymo visas, scriptum Presbyterorum Achajæ de passione S. Andreæ*. Aut ergo sibi ipsi Bellarminus contradixerit, aut ita scriptores Ecclesiasticos distinxerit, ut non negarit anteriores Justino; sed qvi omnes intra Apostolica tempora (qvæ seculo primo circumscribuntur) & sive ante, sive post scriptorem Johannem Evangelistam Apostolorum his

in terris novissimum vixerint & scripserint, cum Justinus primus videatur eorum *qui post tempora Apostolica* scripserint, vel potiùs (cum in intervallo illo 50. annorum adusqve Justinum scriptorẽ alii scribere potuerint, qvi tamẽ illacrymabili urgentur ignotiq; longâ nocte) *quorum ad nos scripta pervenerint*, ut agnoverit adeo Bellarminus ante *Justinum*, vel inter *scripta Apostolorum* & Justini, alia Ecclesiastica scripta adhuc extantia, nec adeo ex seculo 1. supersesse solum Apostolorum Canonicum s. γραφὴν θεόπνευστον. Qvanqvam ut â contradictione Bellarminũ hîc liberemus, causam non adeo habemus, nec tam facile illud ex hypothesibus ipsius sc. 1. Ignatium scripsisse anno XI. Trajani, eodem sc. qvo coronatus est, Epistolam ad Romanos, ceterasq; qvæ ad nos pervenerunt, qvomodo & Euseb. l. 3. H. E. c. 30. 2. Dionysium Areopagitam post annum XI. Trajani scripsisse *librum de Divinis nominibus* & supervixisse adusq; tempora *Adriani*. 3 Johannem Apostolorum omnium novissimum anno Domini 101. in pace qviequvisse. Sic enim non post Apostolica solùm scripta: sed & tempora vixerint, & illa qvæ ad nos pervenerunt, scripserint, S. Ignatius S. Dionysius Areopagita, & adeo falsum, qvod Justinus post Apostolica tempora scriptor primus.

§. 2. Qvid de spuriis illis, seculo primo (qvod solis Apostolorum Canonicis insignire voluit S. Spiritus) â Bellarmino, velut *& illorum Autorum, & illius seculi genuinis*, qvin & de *Decretalibus â Pseudo-Isidoro*, & Jesuitâ *Turriano* non minore impudentiâ, qvàm audacia suppositis statuendum, in Rationario ad seculum primũ expedivimus. Præcipua de *Dionysiacis* illis *Areopagiticis* controversia, non solùm Bellarmino paucis lineis & odium in Lutheranos, non magis de hæresi, qvàm Paulus olim per Tertullum coram tribunali Cæsaris Act. XXIV. v. 5. 14. convictos, & judicium circulare contradictorium publicante: *Soli hæretici Lutherani* (An a. soli? Neqvaqvam qvia) & *quidam scioli, Erasmus, Valla*

Valla (nec solùm hi: sed) *& pauci alij* (qvos sanè non inter hæreticos numeraverit Bellarminus) *opera numerata negant esse S. Dionysii Areopagitæ:* sed & Baronio impudentissimè, & sic, ut ostenderet ex illâ se familiâ esse, in qvâ sacramentum est, nihil profiteri sine maledicentiâ, pronunciante: *A majoribus sive orthodoxis, sive hæreticis, ne minimum quidem dubitatum esse num ea Areopagitica verè Dionysii illius Areopagitæ Episcopi Athenienſis essent, ut jure merito mirari debeas perfrictam frontem recentiorum hæreticorum, pro arbitrio cuncta majorum sive scripta, sive traditiones negantium* (vid. Baron. ad a. D. 649.) Sed & Lessio, Halloixio digna Jesuiticis pulmonibus impudentiâ hîc conclamantibus, pro scriptis illis genuinis DIONYSII AREOPAGITÆ, cujus conversi mentio in actis Apostolicis.

§. 3. Et ut illa Baronii ac Bellarmini præjudicia, ex odio, qvo illi Pseudo Catholici in nos, qvos audacter adeo hæreticos appellant, profecta, tantò magis appareant, inq; ipsorum adversariorũ capita convertantur, per prioris sententiæ retractationẽ, negavit illa Dionysii Areopagitæ Gulielm. Grocinus (qvem unum 100. Holloixiis præfert Dallæus) negavit Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus, judicio adeo Bellarmini, & Baronii *hæreticus*, vel *sciolus*. Qvin fatetur Sixtus Senensis, non solùm THOMAM illum Cajetanum: sed & PLEROSQVE ALIOS (ipsius sane judicio (Catholicos) dubitasse, an illa scripta *sint Dionysii Areopagitæ?* Agnovit Possevinus, *opera illa Dionysii ut Pseudepigrapha visa Photio.* Sed & ipse Bellarminus αὐθεντικῶς & alibi l. 2. de Monachis c. 2. allegato *Valla* teste concedit: *Plurimos Viros Doctissimos* (sanè ipsius hîc judicio Catholicos) *sensisse hæc opera non esse Dionysii Areopagitæ & non esse certum, an libri illi qui Dionysii nomen præ se ferunt, sint illius Dionysii?* vid. l. 2. de confirm. c. 7. Qvomodo ergo *soli hæretici* negaverint, vel dubitarint? Et si vel *pauci* saltem alii (qvos hic *plurimos* concedit) Ca-

tholici negarunt illa esse *Dionysii Areopagitæ*, qvomodo id negarint *soli hæretici Lutherani?*

§. 4. Freqvens illud in ore Baronii (nec sine ratione) ubi de scriptis sive genuinis, sive suppositiis judicium ferendum e. c. Baron. ad a. D. 32. §. 38. *si illa sunt à Clemente dicta vel scripta, quomodo latere potuerunt tot antiquos Patres, qui de eâ re scripserunt?* Ita tom. 1. annal. ad a. c. 48. *Fertur epistola Dei genitricis, ad Ignatium, & hujus ad illam:* sed *Hieronymus & alij antiquiores eas non noverunt.* Licebit sanè pari jure contra illos hoc totum invertere. Si hæc sint vetustissimi illius Dionysii Areopagitæ, qvomodo per integra qvinq; vel sex etiam secula adusqve Gregorium M. latere potuerint tot ac tantis antiqvissimis Patribus? qvomodo Irenæo Polycarpi discipulo, qvi sanè ex Polycarpo ignorare non potuisset, si qvid ad hunc Dionysius Areopagita scripsisset? Qvomodo uterq;, & qvi primus post Lucam meminit Dionysii Areopagitæ, Aristides in *apologetico pro Christianis*, qvem Adriano Augusto Athenis tunc commoranti, ipse Athenensis Philosophus & Christianus obtulit, &, qvi post hunc Dionysii Areopagitæ meminit, Dionysius Corinthius de scriptis his tacuerint? qvomodo, cum multa in Dionysiacis illis contineantur, qvæ insigni, contra hæreticos scribentibus antiqvis Patribus, usui esse potuissent e. c. de *veritate Christi humanitatis*, *de fidelibus post baptismum lapsis ecclesiæ per pœnitentiam reconciliandis*, de *tribus in Deo hypostasibus* (qvæ post Concilium Alexandrinum a. D. 362. ab Athanasio celebratum, salvâ ceteroqvi perpetuâ fide Catholicâ, demum obtinuit formula) ne ullus qvidem Patrum objecerit tantæ autoritatis scriptorem Dionysium? Confessus autem Bellarminus est l. de Script. Eccles. *Ante S. Gregorium Romanum nemo horum operum nomine S. Dionysii Areopagitæ meminit.*

§. 5.

§. 5. Qvin ut magis confundantur illi Censores, omninò ante Gregorium Magnum occurrit mentio horum librorum, velut genuinorum sub Dionysii nomine Areopagiticorum. Sed qvinam qvi tunc *Dionysii Areopagitæ* illa esse affirmarunt? Sanè hæretici *Severiani*. Qvinam qvi negarunt? Sanè *Catholici*, qvi velut apocryphos & spurios ante annos 1140. repudiarunt, interprete *Hypatio Metropolitâ* Ephesino, Collationis Catholicorum cum Severianis, Constantinopolitanæ Præside, vel ipso Baronio ad annum Domini 532. §. 30. 31. illam Dionysiacorum ante GregoriũM. memoriã agnoscente: ceterùm, qvicqvid sit de vero collationis illius anno, Severianihæretici tunc citarunt Dionysiũ Areopagitam: Catholici, qvorum tunc Os *Hypatius*, constanter illa Dionysii illius esse negarunt, ratione illâ qvoqve usi â silentio omnium veterũ, qvod *illorum operum nec S. Cyrillus, nec Athanasius, nec quisquam veterum meminerint.* Eant nunc & objiciant Pontificii: *A majoribus s. orthodoxis s. hæreticis ne minimùm quidem dubitatum esse num ea scripta sint Dionysii Areopagitæ? solos recentiores & perfrictæ frontis hæreticos Lutheranos negare illa opera esse Dionysii Areopagitæ*, & agnoscant suæ cum *Severianis* hæreticis cohærentiæ annulos, agnoscant *solos hæreticos affirmasse olim ante Gregorium M. illa opera esse illius Dionysii, Catholicos autem negasse*, qvod ex illâ collatione tam clarũ, qvam qvod in sole meridiano positum. Sed & argumentum *â silentio veterum* ad *neganda illa Areopagitica*, utut non adeo cogat, qvàm qvæ ex internis characteribus scripti præsumuntur, nec per se Apodicticum usqve adeo sit, tamen vehementer æstimarunt illi veteres *Catholici* (nec, prout paulò ante notavimus, argumentari sic â silentio veterum negativè, in qvæstione de *scriptis* sive *genuinis*, sive *suppositiis* insolitum alibi Bellarmino & Baronio) Invertunt illud, ad probandum illo ipso silentio, hæc scripta revera esse Dionysiaca Areopa-

getica, & hoc ipso se Pseudocatholicos ostendunt, scriptores qvidam Pontificii ex qvibus Bellarm. l. 2. de Monach. c. 5. *Hoc argumentum* inqvit, *nobis, maximè favet, quo* adeo probare voluit *autorem illorum illis Patribus fuisse longè antiquiorem*, ac si sc. illi Patres allegaverint saltem *autores, qui extiterint suo tempore*, non autem *longè antiquiores*. Sic dum Bellarm. l. 2. de Monach. c. 5. opponit *tres Pontifices, duo Concilia, & quosdam Doctores*, pro probandis illis Dionysiacis, qvid pro Dionysio lucratur? Si enim qvorundam autoritas, vel opinionis vetustas sufficit ad legitimanda hæc tanqvam vera Dionysii Areopagitæ scripta. E. & qvæ in 5. tomo operum Ambrosi, extant commentaria in Epistolas S. Pauli, erunt Ambrosii, Imperfectum opus in Matthæum, Chrysostomi, Symbolum ad Damasum Hieronymi, Liber qvæstionum V. & N. T. AUGUSTINI, qvia per 1000. & ultra annos pro talibus â patribus & Conciliis, qvoqve sunt habiti, de qvibus tamen, qvod non sint illorum Autorum, nunc consensus est. Scilicet potest aliqvando, prout in ipsis scripturis Apocryphis, imo & V. T. qvibusdam Canonicis: Ita & in Ecclesiasticis Patrum scriptis constare, cujus hoc vel illud scriptum non sit, ubi tamen non constat, cujus sit? nec ab immemoriali opinione, præscriptionis omnis terminum longè transcendente ad veritatem valet consequentia. Nullus in foro veritatis præscriptioni, vel ex hâc solâ Actioni locus, qvod ipsi Baronio agnitum, qvando (ad a. D. 109.) *Jura*, inqvit, *veritatis, omni antiquitate sunt ampliora, quæ nullâ valent primorum seculorum præscriptione lædi, nec innumerâ testium multitudine labefactari.* Valet sc. hîc illud JCtorum ff. de reg. Juris 29. *Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.*

§. 6. Autorem suè Dionysiacorum illorum (qvem unum eundemq; fuisse ostendit summa rerũ & & verborum consonantia) haut ineruditum, qvin sacrorum Christianorum studiosissimum

diosissimum fuisse, tot ac tanta, qvæ de Christianâ religione composuit, & vel qvoad ipsas ceremonias, qvibus, ne minuerentur vel abrogarentur, sub tanto vetustatis simulacro, retinaculum imponere voluit, posteritati reliqvit, clarissimè testantur. Et tantum probat Lessii, & Halloxii Jesuitarum, *à pietate, gravitate & Sanctimoniâ hujus scriptoris* argumentum, qvod tamen potentius pro Autoris honore militaret, si (prout Areopagitæ & Athenienſis Episcopi cognomen sibi arrogare ausus haut est) fictionibus qvoqve abstinuisset, & tum sibi tum Timotheo, illi deniq; qvem adeo immodicè supra ipsos ferè Apostolos extollit, Hierotheo personam detraxisset, nec contra regulas Paulinas, ὑπερφρονεῖν παρ' ὁ δεῖ φρονεῖν. ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων Rom. XII, 3. Col. II. 18. ac sic videri, ultra qvàm esset, sapiens & antiquarius voluisset.

§. 7. Sanè Timotheum illum, cui suos inscribit libros, nunc talem fingit, ut non aliũ videatur repræsentare, qvàm qvalem se qvoq; esse videri voluit, *Pauli discipulum*, celeberrimũ illum Ephesi Episcopum, nunc non *Filium* solùm: sed & *puerum nondum ex ephebis egressum*, suumq; non minùs ac Titus, *discipulum*, repugnante scripturâ & Chronologiâ sacrâ, nominando, qvin adeo *stupidum* fingendo, ut *non potuerit intelligere, quæ de Theologicis Elementis Hierotheus scripserit*, vehementissimè deprimit, adeo ut ipsis Areopagiticorum defensoribus posteris, dubium ingens, *quis ille Timotheus*, saltem ex mente illius Pseudo-Dionysii, fuerit? reliqverit, Baronio, in *Pudentem Rom. Senatoris Filium* illo Ephesino longè juniorem, Dextro in Chronico, *in Eugenium Marcellum Toletanum Episcopum* abeuntibus, & rectè Timotheum in Domini fide Dionysio Areopagitâ longè anteriorem, ab hoc velut *puerum vel Tyronem* Areopagitæ describi non potuisse agnoscentibus, Hailloxio contrà, pro Pauli discipulo, sanctiore illo Timotheo, non malè ex mente Autoris pugnante, ut

vel inde

vel inde ex utraq; hâc sententiâ comparatâ, tota illa, qvâm per *Timothei* & *Titi nomina* sibi parare Autor intendit, antiqvitas & Dionysii Areopagitæ autoritas evanescat.

§. 8. Sic illud, qvod beatæ Virginis corporis mortui videndi causa cum aliis Hierarchis s. Apostolis, Hierosolymis convenerit, & ejusdem exeqvias iverit, vel saltem funeri interfuerit, qvàm ipso Anachronismo fabulam ostendat, jam supra in Rationario Seculi 1. ex professo est remonstratum: utcunq; enim annus mortis B. Virginis numeretur, sive, ut ex Evodio Nicephorus a. Domini 44. sive, ut ex Hippolyto Epiphanius notat annus 43. sive juxta alios apud Baronium, annus 35. sive juxta Optimos Chronologos annus 48. qvi anno 10. Claudii, anno 52. DOMINI demum factus Christianus & per annos aliqvot adhuc mansit Catechumenus & Neophytus, non potuit, anno DOMINI 48. nedum anno 43. vel 44. inter Christianos, multò minùs inter Hierarchas sese numerare, & tali Schemate cum Apostolis convenire. Qvin licet detur, Mariam πλὴν θεοπίκον non anno ætatis 63. prout habet sententia plurimorum: sed anno ætatis 72. anno DOMINI circiter 58. mortuam, qvam etsi pauciorum, Epiphanii & Cedreni sententiam, pro legitimando hoc itinerario Dionysii Hierosolymitano, & per hoc, Areopagitâ Autore e. c. libri de div. nom. cujus c. 3. historia illa narratur, vindicando, seqvitur Hailloxius, suo tamen ipsius judicio, dum illum putat annũ Neronis secundum, sententiam, qvam sustentare qvomodocunq; parabat, destruit. Anno qvippe 2. Neronis, Paulus captivus Cæsareæ, non poterat cum Apostolis, nec ipse adeo Dionysius Areopagita cum Paulo, ad visendam MARIAM convenire Hierosolymis. Qvod autem *de Juvenali Hierosolymorum Episcopo* Pulcheriæ Augustæ Martiani, de corpore Mariæ percontanti ex Dionysiacis his respondente, objicitur, totũ Nicephoro Callisto recentiori, nec magis fide digno, qvàm Lucius Dexter in Chronico, debetur

batur, qvem p ſteriorē Joh. Dallæus *fabulatorem muſeum, pari ſtultitiâ ac impudentiâ* probat, allegato inter alia exemplo, qvo anno Domini 110. *ſcriptores Catholicos vel 30. ſcripſiſſe narrat contra Porphyrium*, qvi tamen 123. annis poſtea demum natus eſt, conf. Halloix. lib. de Dion. oper. & contra illum Dallæus p. 93.

§. 9. Conceſſimus nihilominus in Rationario Seculi 1. ſcriptorem eſſe *antiquiſſimum*, non abſolutè: ſed *comparatè*, cuicunq; ex prioribus illis, imputetur ſeculo. Nec enim ſeculo primo Auctorem vindicare, qvin potiùs contra illam hypotheſin militare noſtrum fuiſſe inſtitutum, ex Rationibus conſtabit p. 44. 45. & ſeqventibus, qvas inter & illa de metachroniſmo, qvod & *Clementem* nominet, & *Joh. Evangeliſtam citet, & multorum quæ infra ætatem Apoſtolicam conſiſtunt, mentionem faciat.* Sanè pro *Clemente* illo non Chriſtiano: ſed Ethnico, Actio ſc. qvodam *Clemente* Philoſopho, Dionyſii πυγμάχῳ, pugnat Baronius, pro eodem, Chriſtiano & Romano illo, Dallæus, haut agnoſcens vim argumenti Baronii: ſc. *ſi Chriſtianum ſcivisſet, eximium vel divinum nominaſſet, ut ceteroqui Ignatium, Hierotheum.* Qvôd ſi, prout omnino videtur, â negatione talis elogii ad *Ethnicum Clementem* non V. C. nec titulus *Philoſophi* perimit Chriſtianum, nihil obſtat, qvò minùs magis pro Clemente Alexandrino, qvàm Romano intellecto, pronunciare liceat, inprimis, cum Clemens Alexandr. in toto IIX. Stromatum libro non niſi Philoſophum agat, ac ibi habeat, unde illud de *relatione cauſæ exemplaris ad aliquid*, deducere potuerit ille PſeudoDionyſius, conf. Rivetus Critici ſacri l. 1. p. 161. & ſeq. De altero dubium magis apparere poterat, an valeat illatio: *Autor horum librorum allegat Johannem. E. ille non eſt vel fuit S. Dionyſius Areopagita?* Omnino autem conſtat illi ſuum robur, ſuppoſitâ duplici hypotheſi, unâ, *Dionyſii Areopagitæ coronati ſub Domitiano*, alterâ *Johannis Evangeliſtæ ſcriptoris inter Apoſtolos omnium noviſſimi, abſolutiq; ab hoc Canonis circa pri-*

mordia Principatus Trajani. Memorari autem in illis Pseudo Areopagiticis multa, qvæ infra ætatem Apostolicam consistant non solùm res: sed & ipsæ testantur formulæ loqvendi s. termini mysteriis applicati, e. c. amplissima mentio *trium hypostasium divinitatis, duarum in Christo naturarum,* ἀναλλοιώτως καὶ ἀσυγχύτως *unitarum*, vid. lib. de *div. nomin.* nec minùs prolixa mentio Monachorum, primis ad a. D. 300. Christianis ignotorum. Notavit id qvoqve Joh. Dallæus, & tum ex illis, tum aliis loqvendi modis e. c. qvod *Davidem* appellet θεοπάτορα *Jacobum* ἀδελφόθεον *Hannam*, Mariæ τῆς θεοτόκου matrem, θεοπρομήτορα, *s. Dei aviam*, concludit: Autorem horum librorum scripsisse non post Ephesinum solùm: sed & Chalcedonense Concilium, & adeo post a. D. 451. vid. Dall. p. 167.

§. 10. De stylo Pseudo-Dionysii ad seculũ 1. notavimus, qvod nec Atticus sit, nec Apostolicus, nec Apostolorum ætate, nec proximis illi temporibus in Græciâ usitatus, ut non immeritò hîc valeat illud: ἡ λαλιά σου δῆλόν σε ποιεῖ Matth. 26, 73. Sanè *antiquissimum & elegantissimum* scriptorem appellarat Casaubonus, sic tamen, ut *qui Dionysio illi, cujus in Actis Apostolorum mentio, ausint arrogare, imperitos & cum linguæ Græcæ, tum antiquitatis Ecclesiasticæ penitus rudes*, audeat affirmare, nec adeo ob *stylum* appellarit illum scriptorem elegantissimum, qvi non eleganter ubiq;, qvin asperiore stylo & inusitato dicendi genere, *quod à cothurno tragico, & ampullis dithyrambicis non multum videtur distare, tanquam in adyto & nocte scripsit,* & διὰ πολυπληθίας λόγων σκοτεῖ τὸν λόγον s. dum, qvod uno verbo exprimere poterat, in plures diffundit voces, obscurat sermonem, conf. Casaubon. exerc. ad Baron. 16. §. 43. & Scholiastam Pseudo Dionysii, Maximum, l. Dallæum, apud qvem singularium vocum, qvales e. c. ὑπερθεότης, αὐτοθέωσις, αὐτοσίωσις, item qvod Episcopos *Hierarchas*, Monachos vocat *Therapevtas*, Prophetas, *Hypophetas*, Apocalypsin, *epopsiam* &c. integer Catalogus

c. 31.

c. 31. p. 174. & seqq. ut taceamus, qvæ *in Angelorum in 3. classes & harum rursus in tres ordines divisione* illaq́; τριῶν τριαδικῶν διακοσμήσεως discriminatione habet, & rerum & vocabulorum παράδοξα.

§. 11. Argumentum ab anno mortis Dionysii Areopagitæ, pari loco habuimus, qvo illud de silentio Patrum, scilicet, utut solum illud & sibi relictum, vel ex Menologiis & Martyrologiis utplurimùm, sive corruptis, sive contradictoriis (qvomodo Milletus Areopagiticorum signifer, liberaliter confitetur, *non solùm Bedæ, quod nunc habemus: sed omnia Martyrologia esse corrupta*) disputatum, ex hypothesi & in concursu inprimis argumentorum contrariorum pro genuinis illis, Dionysiacis, in foro contentioso, sustinere tantæ causæ molem non possit, neqvaqvam tamen pro Dionysio Areopagita Autore: sed contra hunc utrumq́; argumentum longè maximâ probabilitate militare, qvin evictâ solidè hypothesi illâ Chronologicâ, qvoad librum de divinis Nominibus (cum omnia unius ejusdemq́; esse Autoris rerum verborumq; formatura constanter ostendat) pro ceteris qvoq; scriptis non aliter, qvàm pro Pseudo-Dionysiacis æstimandis, vehementer persvadere: unde Rationario seculi I. pag. 40. utrumq́; & *Dionysium Areopagitam, Atheniensium potiùs, quàm Parisiensium Episcopum fuisse*, & *non Trajani* (prout pauciorum, ex Græcis qvidem, Michaelis Syngeli & Svidæ, ex Latinis autem Gregor. XIII. vel ejus jussu post annum Domini 1172. editi, tantoq́; minoris fidei, Martyrologii) nedum *Adriani* (prout Areopagiticorum, qvi sc. defendere laborant, illa omnia Dionysii illius Areopagitæ esse, contradicente licet, ante tot secula Hypatio, sententia habet) sed (qvæ Communis Veterum & constans sinceriorum in his literis Censorum, qvotqvot habeat λαβὰς τοῦ φιλολογεῖν, sententia fertur) *Domitiani* temporibus martyrio coronatum, inter *probabilia*, prout illud inter cer-

ta, pag. eâdem §. 40. retulimus: *librum de divinis Nominibus scriptum post Epistolam extantem sub nomine Ignatij*, unde, ex hypothesi qvidem, si à priori magnis argumentis jam *constet: Dionysium Areopagitam fuisse Autorem libri de divinis Nominibus*, dubium nullum supereſſet, qvin Dionysius potiùs sub Adriano, qvàm sub Domitiano vel Trajano coronatus, & sic annus martyrii ordinandus fuerit. prout contra, si illud legitimatum à priori sa is non fuerit, alterum autem sc. *Dionysium sub Domitiano coronatum*, majori fide fese ostendat, certum non potuisse illum citare Epistolam Ignatii decem annis posteriorem, & sic *Autorem libri Dionysium Areopagitam non esse.*

§. 12. Citatur scilicet, in illo *de divinis Nominibus*, illud: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, nec velut Enthymema vel vulgare ceteroqvi Apophthegma Ignatianum: sed velut γεγραμμένον, non velut dictum: sed velut *scriptum*: γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ιγν. ut frustra pro declinando hoc telo *Maximus*, & *post hunc Halloixius* pertinacissimus horum Areopagiticorum defensor, negarint inde ciatum, vel, cum negare non possint hanc ῥῆσιν Ignatianam (qvæ sub hoc nomine jam olim ivit in universitatem) non ab autore: sed ab alio insertam, hypobolimæam, obelo potiùs notandam objecerint, qvam impudentissimam ἐπίκλησιν lectionis illius antiqvitas, & universalitas confutat.

§. 13. Objectum jam olim ab illis, qvi veriora magis, qvàm proprii ingenii commenta sequebantur, qvod *Dionysius non potuerit meminisse Ignatij velut longè posterioris*: qvin non solùm seculo IX. hoc Dionysiacis illis objectum constat ex *Photio*: sed & seculo VII. prout constat ex vetustissimo Areopagiticorum Commentatore, *Maximo*. Unde postqvam nullus obelo *Hailloxij* locus, eundum ab illis Areopagiticorum defensoribus fuit in *Dionysium Areopagitam* sub Adriano (cujus annus 1. fuit annus DOMINI 120.) Martyrem, de qvo & *Aristides* tacet, & *Dionysius Corinthius*

Corinthius, tacet qvoq; *Usuardus*: sed nō hoc posterior *Ado*, insertâ audacter Aristidis autoritate, qvod de Dionysii, sub Adriano passione, testimonium falsò Aristidi tribui evicit, *Halloixio* scientiâ & conscientiâ longè præferendus, Jesuita Sirmondus, & ex hoc Dallæus, cum vel ipse *Maximus 200*. annis *Adone* vetustior id in Aristidis, antiqvissimi scriptoris, opusculo nō viderit, & ut taceamus de Dionysio, futuro sic macrobio & nimis annoso martyre (velut qvod argumentū, utut anno martyrii Dionysius fuerit 102. vel 110. prout Halloixius vult, annorū, per exempla Martyrum μακροβιωτάτων elidere liceat, nec adeo planè παράδοξον & incredibile, ipsis Martyrologiis de ætate Dionysii d. 3. Octobr. coronati, qvidem loqventibus: sed de ætate tacentibus, reputandum, Dionysium id ætatis, natum sc. annos 110. passum esse. Cum anno Adriani sexto Episcopus Athenienſis fuerit *Quadratus*, ante hunc *Publicus*, ante hunc *Dionysius Areopagita*, non potuit anno Adriani 6. vel 7. anno Christi 126. vel 127. ætatis suæ circiter 18. Athenienſis Episcopus & inde Martyr esse *Dionysius Areopagita*. Ex hypothesibus chronologi is, si *detur Dionysius Areopagita autor Epistolæ ad Polycarpū*, hæc scripta fuerit post annū Domini 100. *liber de divinis nominibus* post annū 109. & post hunc *liber de Theolog. Symbolicâ*, qvin post hunc & in tantâ annorum 102. ad minimū ætate missus fuerit Dion. Areop. in Galliā, ad prædicandū ignotæ gentis & linguæ hominibus Evangelium, idq; â Clemente Romano cum tamen non hic solùm: sed & ejus successor Anacletus jamdudum inter vivos esse desiissent. Sed & illum Dionysium Parisiensem Episcopum circa annum D. 250. Martyrem, meliores historici testantur.

§. 14. Per Dionysiaca adeo illa, nihil obstat, qvò minus absolutè primus, scriptorum Ecclesiasticorum, qvorum ad nos, *suppositis Apostolorū Canonicis*, velut in cœlesti culmine collocatis, scripta pervenerint, statuatur Justinus: Juvat de ceteris qvoqve

brevi post *vindemiam* seculo I. præmissam *racematione* dispicere, qvæ inter mole minora Ignatiana, & Polycarpi epistola: cetera enim nullum nomẽ vel ἐπίκρισιν ampliorem hic merentur. Neq; verò sive de Episcopatu, sive de Martyrio Ignatiano (cui in Græco, decimus, in Latino Hieron. XI. Trajani, præscribitur) vel illius Martyris dicto: σῖτος ἐμὶ θεῦ καὶ διὰ ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, i. e: *Dei frumentum sum, bestiarum dentibus molor:* sed saltem de scriptis, qvæ sub illo nomine ad nos pervenerunt, an per illa primitati Justini periculum? dispicere juvat.

§. 15. Dispescuimus Ignatiana Epistolica in tres classes, & ad seculum I. retulimus, habitâ ratione annorum episcopaliũ Ignatii, qvorum plurimi debentur seculo primo pauciores & novissimi exordienti secundo. Et de infimâ qvidẽ classe tanto Martyre indignâ, consensus est: ñon item de mediâ s. qvinqve illis Ignatianis qvas ad mediam classem rejecimus vid. Rationar. sec. I. p. 27. Illas enim velut genuinas Ignatianas & *Spiritum Apostolicum redolentes* admittunt Bellarm. Baronius, qvin, ut ubiq; ostendant impudentiæ & effrenis in judicio licentiæ exempla, Baron. annal. ad a. D. 109. & 44. ad Martyr. Rom. *Has*, inqvit, *Epistolas Catholica semper suscepit Ecclesia, eaq; omnium sanctorum patrum & Conciliorum sacrorum autoritate probantur.* Contra: nullũ facile Concilium antiqvũ extabit, qvod ullius meminerit Epistolæ Ignatianæ. Et pro apocryphis illis & spuriis militant argumenta in Rationario Seculi I. accumulata, sc. præter silentiũ antiqvorum, qvod *habeant parum tanto Confessore digna & tempori consona*, qvale, e. c. illud in Antiochenâ: Ne Uxores Viros propriis nominibus salutent! vel, qvod, cũ ante seculũ 4. nulla *Monachorum* vel *Monacharum asceteria*, nulla *Monasteria*, *Cœnobia nulla*, nulla *Virginum* (prout Pseudo-Ignatius loqvitur) *systemata* fuerint, hæc ipsa tamen velut jam tunc usitata, memoret, qvod *manifestè erronea vel* hæretica *contineant*, ut frustra Baron. ad a. D. 109.

D. 109. *providentiæ divinæ acceptum referat, non tantùm primam scriptionem: sed & illarum inter tot naufragia incorruptam conservationem.* Idem contra Nicol. Vedelium defendere voluit Richardus Montacutus.

§. 16. In primâ qvoqve classe (in qvâ alii 6. alii 7. Epistolas numerant) juxta Salmas. Blondell. Dallæum Centur. Magdeb. Calv. Witakerum, Parkerum, Rob. Cocum Anglos & jam olim Niceph. Constantinop. sec. IX. Ignatius totus fictus est, vel illæ Epistolæ 6. spuriæ, & supposititiæ: sed tamen 200. annis illo Pseudo-Dionysio antiqviores. Citantur demũ inde à seculo 4. ante qvod de his silentium. Memorabile, qvod cum nostrâ ætate à *Jacobo Usserio, Armachano Episcopo* in Angliâ, Latinus, ab Isaaco Vossio in Italia, Græcus, harum Epistolarum accuratissimè descriptarum codex fuerit repertus, (qvem utrumq; Vossius edidit, Dion. Petavius ob consensum cum antiqvis commendavit, Andr. Rivetus, qvi in primâ Critici sui sacri edit. omnes habuerat suppositititias, deinceps illas Usserianas, exemit, &cum laudato Vedelio, septem illas genuinas agnovit) ex comparatione tamen s. collatione codicum constet, vix *ullum ad nos corruptiorem scriptorem pervenisse, quàm hunc Codicem Epistolarem Ignatianum.* Unde Petavius fatetur: *Pleraq; loca ab antiquis laudata, vel in illis Epistolis minimè reperiri, vel longè aliter concepta, unde non aliis inde sit usurus sententiis, quàm quibus Veterum Patrum consensus germanitatis testimonium perhibet,* qvi idem ἐπιεικῶς prudenter temperat: *Quamvis,* inqvit, *interpolatæ sint, nec omnino sinceræ ad nos pervenerint, non esse tamen penitus Ignatio abjudicandas.* conf. in T. D. l. 1. de Eccl. hier. & tom. 2. præf. c. 2. §. 8. Ab hæreticis, & Græculis alicubi interpolatas, agnoscunt ex ipsis Pontificiis Martial. Mœstræus, Halloix. Petavius in Theol. Dogm. Pro Græcâ & Latinâ Epistolarũ editione, qvalis nunc est contra Usserianã & Vossianã editionẽ (æstimatam ceteroqvi Petavio

ravio) velut curtam & mutilam, calamum strinxit Joh. Morin. de ord. sacr. p. 3. Latinum Codicem Græcis præfert *Bellarminus*, qvi cum videret sacrilegæ illi mutilationi Sanctissimi mysterii vel Sacramenti Eucharistici repugnare locum, qvi extat in Epistolâ Ignatianâ ad Philadelphos, ubi tam unus calix *omnibus* distributus, qvàm unus panis *omnibus* dicitur esse fractus, ne qvid periret *illi purpurâ & cocco amictæ, habenti poculum aureum in manu suâ, plenum abominationibus, & in fronte suâ nomen scriptum:* MYSTERIUM! Apoc. XVII, 5. hâc compendiariâ censurâ argumentum objectum l. 4. de Euchar. c. 26. dimisit: NON *multum fidendum est Græcis Codd. multi enim sunt in eis errores*, alter autem Baronius, qvasi voculâ unâ sacrilegè additâ, & pro eo qvod Græcus Codex habet: καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη i. e. *unum poculũ universis est distributũ*, surrogatâ lectione: *Unus calix pro omnibus est distributus*, ac si esset: καὶ ἓν ποτήριον ὑπὲρ τῶν πάντων διενεμήθη, sensum evidentissimum adulteravit. Contrarium sustinuit *Nicol. Nancelius* sc. *in Latinâ editione pleraq; falsa suspecta.* Vid. ille in Catal. libr. Petavii illud judicium ad ipsam Polycarpi qvoqve Epistolam extendere licebat. Nos de cetero provocamus ad judicium de his Ignatianis & Dionysiacis in Rationario ad sec. I. explicatum.

§. 17. Minùs præjudicare Justino potuerit *Papias* Hieropolitanus in Asiâ Episcopus, tum, qvod præter *fragmenta* qvædam nil supersit, & in his non adeo extantia *Apostolici scriptoris* vestigia, tum qvod præter consensum in vetustate, non adeo certa lux præfulgeat pro ætate. Licet enim ex Hieronymo obiter inspecto colligendum videatur, *Papiam ipsos Apostolos Auctores & Doctores habuisse*, tamen, prout ante Hieronymũ notaverat jam ὁ φιλαληθέστατος Eusebius, Papias ipse in *præfatione voluminum*, qvibus titulum fecerat: ἔκθεσις λόγων κυρίου, s. *Explanatio sermonum Domini*, protestatus erat, se ἀκροατὴν μὲν καὶ αὐτόπτην οὐδαμῶς γενέσθαι τῶν

ἱερῶν

ἱερῶν ἀποστόλων, & ipsos adeo Apostolos nec vidisse, nec viva voce docentes audivisse: sed à Presbyteris, qui cum Apostolis versati fuissent, didicisse, quid S. Andreas, quid Petrus &c. dixerit vel docuerit vid. Euseb. l. 3. hist. c. 33. nec exinde, qvod alibi Eusebius Ignatii & Polycarpi temporibus inserit mentionem Papiæ, ad hunc seculo primo necessario accensendum, valet consequentia.

§. 18. Signifer erroris Chiliastarum communiter habetur hic *Papias*, teste Hieronymo libell. de script. Ecclesiast. qvi ad memoratam *mille annorum Judaicam* δευτέρωσιν alibi qvoqve comment. in Isaiam allegat longo ordine Patres, qvi *Papiam* secuti Chiliasmi s. *Regni sanctorum terreni post resurrectionem per mille annos* defensores fuerint. Nihil attinet disqvirere nunc, an rectè ab Hieronymo allegati pro illo Chiliasmo, ex APocalypsi c. XX. malè deducto, *Irenæus*, *Victorinus Pictaviensis*, *Sulpitius Severus*, qvippe in qvorum scriptis nulla Chiliasmi talis vestigia? Et si Apollinarius, utrum ille Hierapolitanus, an alter Laodicenus Episcopus? etsi Apollinarius pro Nepote pugnans contra Dionysium Alexandrinum, non potuit esse Hierapolitanus ille qvi vixit seculo 2. sub Vero: sed Laodicenus, qvi seculo IV. sub Constantio.

§. 19. Qvàm Papias ille, dum parum memor Consilii *Abrahami* Luc. 16, 29. 31. protestationis *Paulinæ* Galat. 1, 8. destitutus qvoqve habitu illo, & ἀναθηματίσας γαυμασμένους, qvæ una cum habitu illo, in Christiano provectiore qvolibet reqvirit Apostolus Hebr. V, 12. neglectis Apostolorum scriptis, traditionibus Apostolicas mentientibus, fidem accommodavit, vel veras qvoqve exegeticas malè intellexit, in deliria indigna tam vetusto scriptore abierit, jam olim notavit Eusebius l. 3. de Hist. Eccles. c. ult. Hic, inqvit, Autor *profert nonnulla* ὡς ἐκ παραδόσεως ἀγράφου i. e. *velut extraditione non scriptâ ad se delata, utpote peregrinas quasdam Servatoris parabolas, ac doctrinas, & quædam alia* μυθικώτερα s. *fabulosa*

fabulosa, inter quæ etiam adserit regnam Christi post resurrectionem à mortuis mille annos humano & corporeo more his in terris constituendum. Qua quidem dogmata eum existimo suscepisse, quod Apostolicas expositiones colligens, quæ ab illis essent per similitudines mysticè dicta, malè intellexisset. Considerabam, verba sunt Papiæ apud Hieron. *quid Andreas, quid Petrus dixissent? quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus uterq; quid Johannes quid Matthæus, quid etiam Aristion & Presbyter Johannes, discipuli Domini loquebantur. Non enim tantum mihi libri possunt, quantum viva vox usq; hodie in suis Autoribus personans.*

§. 20. Ceterùm, qvàm inde qvod traditiones magis ψευδωνύμους, qvàm libros Apostolorum secutus Papias, non sibi solùm, nec saltim hæreticis: sed & Viris ceteroqvi Catholicis imposuerit, non tacet Eusebius: *plerisq;* inqvit, *Ecclesiasticis scriptoribus, qui Viri antiquitatem obtenderent, consimilis erroris causam præbuit?* De hæreticis, *qui cum ex scripturis arguebantur in accusationem convertebantur ipsarum scripturarum, quasi non posset ab his inveniri veritas, qui nescirent traditionem: non enim Apostolos voluisse omnia omnibus revelare: sed quædam palam & universis quædam secretò & paucis demandasse*, ex professo loqvuntur Irenæus & Tertullianus, usq; adeo, ut illa hypothesis hæreti orum (*Valentinianorum & Marcionitarum*) huic necessitatem imposuerit, vel occasio saltem fuerit scribendi librum de *Præscriptione*. Signanter autem Eusebius meminit *Obtentam viri antiquitatem*, cum nullis adeo, prout alii scriptores Ecclesiastici veteres, in errores prolapsi, *e.c. Origenes Tertullianus, Apollinarius*, dotibus ingenii excelluerit solaq; adeo vetustate tentatio non parva Ecclesiæ fuerit, ut licet in honorem vetusti autoris Eusebius alibi memoraverit, illum γνωριζόμενον imo μάλιστα λογιώτατον καὶ τῆς γραφῆς εἰδήμονα, tamen ex vero magis idem agnoverit, illum σφόδρα σμικρὸν τὸν νοῦν i. e. hominem fuisse ingenii pertenuis, sicut ex ejus scriptis facilè

cilè licet conjecturam capere. Debetur illi fabuloso Papiæ dubium de Apocalypsi Canonicâ, eademq; Autoris *Johannis Evangelistæ*, cui solam adscripsit *Historiam Evangelicam*, & *Epistolam primam*, prout duas *minores Epistolas & Apocalypsin* Johanni *Presbytero*, non Apostolo, cujus *diversum quoq;* ab illo Evangelistæ *sepulcrum* notat *apud Ephesum*. Conferatur Euseb. l. 3. c. 33. & Hieron. l. alleg. ut rectiùs tamen hîc Hieronymus concludat pro Autore Apocalypseos Johanne Evangelistâ, qvàm Eusebius ad Papiam ejusq; Presbyterum Johannem declinat. Si autem illâ ætate tantum â traditionibus periculum, qvantum non post tot secula, nostro fuerit, nisi revertamur ad fontem S. scripturas, & has audiamus? Esto ergo nunc juxta methodum, qvam legitimavimus in prolegomenis ad seculum primum Rationarii de scriptoribus Ecclesiasticis seculi II.

Classis I.

I.

JUSTINUS.

§. I.

Hic Prisci Bacchii Filius Flaviæ Syriæ Palæstinæ Neapolitanus, & Samaritanus, floruit maximè Confessor circa annum Christi 150. temporibus Antonini Pii, & successorum ejus *Marci Aurelij, & Lucij Veri*, prout testis ipse in apologiâ ad Imperatorem & senatum populumq; Romanum. Philosophorum antea omnis generis Auditor, non externo solùm schemate: sed vita qvoqve Philosophus Platonicus, Philosophicis diatribis longè clarissimus, inde ad *sinceriſſimam*, qvæ in *Ecclesiâ verè Catholicâ datur*, *sapientiam* traductus, disputationibus & scriptis pro fide Christianâ, contra Gentiles, & horum inprimis Philosophos, in fidem blasphemos, qvin ipsos etiam Imperatores, athleta fortissimus, insidiis Philosophorum (qvos inter inprimis infensissimum

mum habuit *Crescentem Cynicum*, totiens impetitus, tandem horum instinctu, occidit, prout antea occasione spectaculi Martyrum fortiter pro gloriâ Christi decertantium sanguinem q; fundentium, Christianus factus (qvas suæ conversionis ἀφορμὰς Eusebius verbis Justini prolixè commemorat histor. Eccles. l. 4. c. 8. 9.) ita & ipse, flagrante persecutione, martyrio coronatus, μαρτυρικῇ αἵματι ἐβεβαίωσε τὸ φιλόσοφον s. *martyrij sanguine confirmabit* (veram & celestem ad qvam Christus vocaverat) *Philosophiam*, prout pulchrè Photius in Bibl. n. 231. Atqve hactenus ferè consensus est: etsi de tempore Martyrii haut par sententia. *Sub Adriano* coronatum statuere, Anachronismus ingens est, qvem ostendunt *Apologetici inscripti Imperatoribus Adriano posterioribus*: optumè illi, qvi imperantibus M. *Aurel. Antonino*, vel ex adoptione qvoqve, una cum Marco, jam regnante *L. Vero Commodo* sanguinem fudisse statuunt, sic ut annus martyrii non fuerit a. C. 130. nec 140. imò nec 153. sed ultra annum 160. qvin plus ultra, si *Anicetus* demum sedere cœpit anno 167. ad cujus tempora pervenisse, imo tunc magnâ famæ celebritate enituisse Justinum testis est *Eusebius* l. 4. Hist. c. 10. (11.) de qvo tamen qvia Chronologi non adeo sibi constant, aliis Pio Aniceti Antecessori annos Episcopatus non nisi 9. *Aniceto* non nisi 8. aliis contra (prout *Eusebius* Hist. c. 10. & 18.) Pio 15. *Aniceto* 11. annos tribuentibus, cum etiam haut parum turbet confusio duorum Commodorum Cæsarum, non operosè disqviremus.

§. 2. Sanè *Hieron. in lib. de script. Eccles.* à Justino, non tantùm Antonino Pio: sed & ejus successoribus *Antonino Vero*, & *L. Aurelio Commodo* Apologeticum pro religione Christianam oblatum memorat, unde dubium, (1) *quis ille Verus? an M. Aurel. Antonin. Philosophus, Annij Veri filius?* an *L. Aelius Verus Antoninus?* (2) qvis ille *L. Aurel. Commodus?* utrum *Antonini Philosophi Frater* & in Imperio Collega *L. Aurelius Verus Commodus?* an ejusdem

an ejusdem Filius *L. Ael. Aurel. Commodus?* Ratio dubitandi, qvod & illi L. Aelio Vero cognomen *Commodi*, & Commodo nomen *Aurelij*, ut sic per nomina adeo communia nihil obstet: qvia tamen Antonini Pii successores immediati & proximi fuerunt M. Aurel. Antoninus Philosophus & hujus Frater L. Ael. Verus s. *Aurelius Verus Commodus* cognominatus, non Filius, qvi demum postqvam ille *L. Aurel. Verus* in vehiculo Fratri Antonino assidens, in ipso itinere apoplexiâ correptus occiderat â Patre Cæsar factus, in partem solicitudinis, & post mortem Patris Antonini, in plenitudinem potestatis successit, nec adeo unqvam ambo Commodi, simul Cæsares & Augusti sederint, omnino pro *M. Aurelio Antonino, & hujus Fratre L. Aurel. Vero Commodo*, qvi pariter AUGUSTI post Antoninum Pium rexerunt concludendum fuerit, ut opus haut sit annum Martyrii Justini adusq; Commodi tempora ultra annum 180. extendere. Facit pro illo Eusebius, qvi illum Aurelium Antoninum Philosophum qvoqve Verum appellat l. 4. Hist. Eccl. c. 14. *mortuo Antonino Pio M. Aurelius Verus ejus Filius, qui & Autoninus dictus est cum L. Fratre successerunt*, ut tamen nevter naturâ Pii filius fuerit: sed ex adoptione, & inde Fratres, & Aurelius Ant. VERUS, & Verus Aurelius, & Verus Commodus & Commodus Verus communia nomina, vel cognomina habuerint: sed & dubiũ, ex inscriptione, *quomodo sc. potuerit Justinus Apologeticũ inscribere & Antonino Pio & ejus adoptivo Philosopho, & Lucio Philosopho, & Lucio Philosophi Cæsaris naturâ Filio & Pij adoptivo* (conf. Euseb. l. 4. Histor. Eccl. c. 11. vel Græco 12.) Qvis ille *Lucius Antonini Philosophi naturâ Filius?* an posterior ille Commodus, in vel unà cum Patre Antonino adoptatus, cui mortuo successit? an alter *Lucius Verus Cæsar, Antonini Filius*, qvi in ipsâ pueritiâ ex tubere secto periit. Qvomodocunq; decidatur dubium, nullum inde pro Martyrio Justini ultra mortem Antonini Philosophi, adusqve successoris & posteri-

rioris Commodi (minimè commodi) extendendo, argumentum suppetit.

§. 3. Ceterum ad institutã nobis in hoc Rationario primariam de scriptis Justini, ceterorumq; scriptorũ Ecclesiasticorum ἐπίκρισιν, redimus, præmisso Eusebii honorifico de scriptis Justini judicio: *Justinus*, inqvit, *multa & præclara ingenij sui sacrarum literarum cognitione accuratè informati, & in eisdem valde diligenter exercitati monumenta* (ὑπομνήματα πάσης ὠφελείας ἐμπλεα) *usu commodis q. plenissima nobis reliquit* l. 4. c. 17. unde ibidem, *Studiosos*, inqvit, *quos q. diligenter cohortor, ut Justini libros cumprimis amplexentur recolant q.* Distinguimus autem qvicqvid sub illo nomine, sive nunc, sive olim extitit in 3. classes, *primam*, scriptorũ sive verorum Justini, sive sub tanto nomine veterum s. olim extantium nunc deperditorum, *secundam* extantium qvidem, & ex parte veterum: sed sive reverà non Justini scriptorum, sive vehementer dubiorum, *tertiam*, extantium & certorum Justini scriptorum.

§. 4. Ad classem l. referimus, qvorum ex αὐτοψία & lectione tunc communi non minùs, qvam ceterorum qvæ supersunt adhuc, majore numero meminit Eusebius l. 4. c. 17. (supposito, qvod qvæ memorat Eusebius de *Elencho contra Gentes*, & *scripto contra Gentiles de multis Christianorum & Gentilium quæsitis*, adhuc supersint) sc. 1. librum inscriptum *Psaltes*, 2. librũ *de animâ*. 3. librum *contra Marcionem*, allegatum ab Irenæo l. 4. adversùs hæreses c. 14. qvem Justini librum Eusebius non tantùm ex Irenæi testimonio allegat l. 4. c. 17. sed & ex lectione propriâ l. 4. c. 10. *Justinus*, inqvit, *in libro quem contra Marcionem scripsit, memorat, eo ipso tempore, quo istum librum contexuit, vitam Marcioni adhuc suppetiisse.* Describit deinceps ipsa Justini verba: *Marcion quidam Ponticus, qui adhuc superstes est, docet alium quemdam nominare Deum, quàm mundi opificem, atque etiam Dæmonum ope adjutus permultos*

permultos ex universo hominum genere inducit, ut loquantur blasphemias & Deum universi fabricatorem Christi Patrem esse pernegent, ex qvo eodem Justini contra Marcionem libro Irenæus Justino proximus l. cit. sententiam allegavit: *Benè,* inqvit, *Justinus in eo libro qui est ad Marcionem ait:* Qvod nec *ipsi quidem DOMINO crediturus fuisset, si alterum Deum præter fabricatorem mundi (factorem eundem & nutritorem nostrum) annuntiaturus fuisset.* Commodè autem monuerat Eusebius: *scripta Justini tanti veteribus æstimata tantumq; probata, ut Irenæus etiam ejus libenter citarit testimonia:* qvod ita habere altero qvoq; loco qvem Irenæus & allegat *l. 5. adverss. hæreses,* de *Satanâ Deum blasphemante* probat Eusebius. Verba Irenæi l. alleg. sunt: *Benè Justinus dixit,* qvod *ante adventum Domini, nunquam ausus sit Satanas blasphemare Deum, quippe nondum sciens suam damnationem: post adventū autē Domini, ex sermonibus Christi & Apostolorum discens manifestè, quod ignis æternus sibi Apostatæ voluntario sit præparatus, & omnibus sine pœnitentiâ in apostasiâ perseverantibus per hujusmodi homines blasphemat Deum, cujus sententiâ condemnatus, & peccatum Apostasiæ suæ Conditori suo imputat & non suæ propriæ voluntati: quemadmodum malefici, ubi pœnas dant, qveruntur de Legislatoribus: sed non semetipsis.* Addatur tribus illis Justini non extantibus (4) *Volumen contra omnes, quæ fuerant, hæreses,* qvod â se compositum testatur in *Apologiâ primâ ad Antoninum Pium* sed & (5) *Epistola ad Papam* cujus mentio in Epistolâ ad Zenam & Serenum, in qvâ profitetur Autor *se accuratè disseruisse, de quorundam, prout eorum fert præsumtio, institutione & disciplinâ: sed præter rationem susceptâ illâ & inutili, juxta traditionem hominum, quasi hæreditario jure ab eis occupata, persimilia Pharisæis facientibus & sentientibus.* Addit Rivetus in Critico sacro: *Hæc Epistola si extaret, esset fortasse in eâ, quod novis nostris Pharisæis minùs placeret aut quia tale quid fuit, ideo fecerunt,* ut non *extaret.*

§. 5.

§. 5. Ad classem II. *extantium* qvidem, sed non revera, vel certè *Justini Martyris*, referimus 1. *librum de Expositione fidei s. rectâ confessione.* 2. *Epistolam ad Zenam & Serenum.* (3) Librum *quæstionum 5. Gentibus à Christianis propositarum.* (4) *Librum quæstionum 146. à Gentibus Christianis oppositarum.* (5) *Reprehensionem dogmatum Aristotelis.* (6) Librum *de Monarchiâ.*

§. 6. Insignis sanè & aureus liber ille de rectâ Confessione, qvin & antiqvus, qvippe cujus velut tractatus antiqvioris jam meminerunt sub hoc nomine, Leontius Hierosolymitanus, & Euthymius Zigabenus, etsi â citationibus talibus etiam sub proprio nomine, ad autorem verum, determinatè non valeat conseqv. exemplo, vel sub ipsius Athanasii, non obstante supposititii evidentiâ, nomine allegatorum tot ac tantorum scriptorum. Qvò minùs enim Justino Martyri adscribatur facit (1) ipsa summi mysterii *de S. S. Trinitate, de unione personali*, per tales terminos & formulas, qvæ nec in indubitatis Justini scriptis, ubi de iisdem agit mysteriis, occurrunt, nec in usu Ecclesiæ tempore Justini: sed demum aliqvot seculis deinceps, contra hæreticos, inprimis Sabellianos, Arianos, Nestorianos obtinuerunt, salvâ Catholici dogmatis æternitate, propositio & explicatio. Scil. in γνησίοις scriptis, Justinus doctrinam *de Patre, Filio, & Spiritu S.* aliqvoties ex professo tractat, citra mentionem vel usum vocabulorum e. c. μονὰς θεοῦ, τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριὰς θεοῦ, qvin de discrimine inhabitationis Christi in carne assumtâ, ab inhabitatione in aliis sanctis, vel præsentiâ in creaturis, tam clarè loqvitur, ut planè post motam â Nestorio controversiam & concilium œcumenicũ Ephesinum, & adeo circa medium seculum qvintum, suppositio ob majorem autoritatẽ, Justini Martyris nomine, compositus videatur. Utut ergo liber insignis & Ecclesiæ utibilis, tamen Justini Martyris haut est.

§. 7. Pro qvo facit (2) ipsa in hoc libro provocatio ad τὰς τῶν πατέρων διδα-

σκαλίας s. *ad patrum doctrinas*, cum verus Justinus ὁ μάρτυς, non tam patrum, qvos vocant, qvàm Apostolorum vel qvibus mysteria regni celestis tradiderant οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου Luc. I. 2. & proximorum illorum Virorũ Apostolicorum discipulus, ad illos Patres, provocare non adeo potuerit. Militat pro illo (3) silentium veterum, Eusebii inprimis & Hieronymi, qvi cum cetera Justini scripta recensuerint, de hoc tacere non potuerint. Nec enim tanti argumenti, illorum tempore ab hæreticis maxumè oppugnati, depositum adeo vetustum, celaturi s. silentio præterituri fuissent, ad cujus conservationem vel maximè intererat, nominaturi saltem, si qvid vel fando cognovissent tanti scripti Justini, etiam citra αὐτοψίαν. Nec minùs pro Autore non Justino Martyre, pronunciare jubet (4) stylus. Observaverat jam olim Photius, *nullam Justino scriptori curam Rhetorici fluminis vel eloquij fuisse, orationem Justini esse quidem pollentem ac validam*, καὶ τὸ ἐπιστημονικὸν διασώζειν (i. e. & *id quod ad scientiam facit, probè servare*) sed *Rhetorica condimenta non spirare, nec verborum blandimentis vulgus Auditorum attrahere*, vid. Photius in μυριοβίβλω n. 125. p. 303. ῥητορικαῖς τέχναις οὐκ ἔσχε σπουδὴν ἐπιχρῶσαι τὸ ἔμφυτον αὐτοῦ τῆς φιλοσοφίας κάλλος i. e. *Rhetorico artificio nativam Philosophiæ suæ pulchritudinem colorare studio haut habuit.* At nullibi, nedũ in indubitatis Justini scriptis apparet plus elegantiæ qvæsitæq́; dignitatis Rhetoricæ, qvàm in hoc, in qvo minimè reqvirebatur, libro de rectâ Confessione. Facit qvoqve Ratio inprimis 3. contra Justinum Autorem Epistolæ ad Zenam & Serenum.

§. 8. Contra 3. & 4. hujus classis scripta facit (1) *mentio Irenæi, Origenis, Manichæorum* conf. qvæst. 82. 86. 115. qvæ ostendit Anachronismum, & qvod Justini Martyris scriptoris esse non potuerint. (2) *Asserta contradictoria*, illis ὁμολογουμένως Justini e. c. *Angelum Jacobæum, Oratorem de Scalâ celesti*, ipsis Angelis *ascendentibus & descendentibus*, tantâ autoritate contradistinctum,

Gen. 28. 10. & seqq. & *colluctatorem Jacobi* Gen. 32. unum *Ministerianorum creatorũ Angelorum* facit, qvæst. 142. cujus contrariũ defendit verus Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone. (3) Stylus, non qvalis in γνησίοις Iustini. (4) Solutiones in his, comparatæ cum responsis Iustini in genuinis, habent se ut plumbum ad aurum. (5) Anachronismus, qvoad usum terminorum ὑποστάσεως, πρόσωπα, τριάδ☉, μονάδ☉ πρόσωπων ὁμοουσίων longè post ab Ecclesiâ summâ necessitate adactâ, demum mysterio accommodatorum, & illa locutio ὁ δεσπότης θεὸς, ὁ δεσπότης χριστὸς, ὁ δεσπότης κύριος, non alibi in Iustino, non in Clemente: sed in Theodoreto seculo 5. reperta, ad qvod adeo commodissimè referuntur hæc scripta qvoad autorem, utut esse in illis potuerint qvædam etiam Iustini Martyris: sed sic interpolata, ut ἐξεργασία sit unius certi & recentioris autoris. (6) Explicatio nominis Hoschianna per μεγαλωσύνην ὑπερκειμένην s. *magnificentiam eminentem*, qvæst. 50. cum verus Iustinus, qvi fuit Samaritanus, ignorare haut potuerit qvid sit Hosianna? (7) Mentio Paganismi sic â Christianismo debellati, ut non amplius dominari possit Christianis, velut qvi jam dominentur, qvorum nevtrum convenit temporibus Iustini Philosophi & Martyris. Consonant Possevinus, in app. ad verbum: IUSTINUS, Sixtus Senens. l. 4. Bell. l. 1. de S. B. & de S. E. Azor. inst. moral. Scultet. Rivet.

§. 9. Contra 5. s. librum *de reprehens. dogmatum Aristotelis* (præterqvam qvod hæc non sunt, Philosophiæ nostræ s. τῆς καθ' ἡμᾶς: sed secularis s. τῆς ἔξωθεν, qvomodo Photius loqvitur) facit, qvod illi, qvi nunc extat, nec cum illo *Photij* conveniat: sc. memorat, qvod *contra* 1. & 2. *Acroamaticorum* s. φυσικῆς ἀκροάσεως, *& contra materiam, formam ac privationem, contra* 5. *naturam* s. *motum æternum scripserit*, cum in illo, qvi nunc extat, *etiam in* 3. 4. 5. Physicæ auscultationis, & *in* 1. 2. & 3. de cœlo scriptum videamus: qvod 2. ex Iustini præfatione intelligatur, non

non contra unum Ariſtotelem: ſed omnes gentiles librum ſcriptum, futurum βραχεῖαν τινὰ ἐκλογὴν τῶν ἑλληνικῶν περὶ θεοῦ καὶ κτίπως δογμάτων, qvod 3. nec formula illa loqvendi de uno in numero plurali, τὴν προθυμίαν, ἐν ὑμῖν ὠτιμιώτατε πρεσβύτερε παῦλε, & illud ἔδοξε σῇ τῇ θεοσεβείᾳ, illis priſcis temporibus reſpondeat. Utiq; res tota clamat, ea qvæ in Ariſtotelem extant, non ſcripſiſſe hunc Juſtinum.

§. 10. De ſexto qvidem vel ultimo hujus claſſis videbatur aliter ſentiendum, tum qvod & Euſebius & ex hoc Hieronymus & Photius l. allegatis, teſtes, *à Juſtino ſcriptum librum de Monarchiâ*, tumqvod ſtylus non adeo abhorreat. Neq; verò dubium, qvin Juſtinus Martyr ſcripſerit librum *de Monarchiâ Dei*, qvod autem integer ille ad noſtra tempora pervenerit, & hic qvi extat, ille ipſe ſit, qvem Iuſtinus ſcripſit, dubitare non ſine ratione licet, tum (1) inde qvod in illo, qvem Euſebius recenſet, memoratur Iuſtinus *omnia ex ſacris literis* & ἑλληνικοῖς ſ. *Gentilium ſcriptis confirmaſſe*, cum in præſenti de primo probandi genere ferè ſilentium, & teſtimoniis ſaltem agatur Gentilium: & ipſe in principio libelli ſcribat ſe *ex Græcorum Poetis teſtimonia ſumſiſſe, non ex noſtris ſcripturis*, qvod (2) ille memoratus, inſcribatur de Monarchiâ *Dei*: ille qvi nunc extat, ſine addito Dei, de *Monarchiâ*.

§. 11. Ad claſſem tertiam ſ. *indubitatorum* Iuſtini nunc extantium, referimus 1. Apologiam pro Chriſtianis (ordine ſcriptionis) primam ad Antoninum Pium & ejus adoptivos. 2. Apologiam ſecundam (non ad Senatum Romanum, prout nunc habet inſcriptio: ſed) ad M. Aurelium Antoninum, & L. Verum (conf. de utraq; Euſebius l. alleg.) 3. Orationem Paræneticam ad gentes (qvomodo βίβλον κατὰ τῶν ἐθνῶν & alterum contra gentes inſcriptum ἔλεγχος, memorat Euſebius, & Hieronymus (4) Dialogum cum Tryphone, Iudæorum, Religioni Chriſtianæ infenſorum tunc ἐπισημοτάτῳ in qvo (verba ſunt Euſebii) *non ſolùm*

qvàm Philosophorum disciplinis sese totum antea immerserit: sed & quâ ratione divinâ gratiâ se ad fidei doctrinam impulerit & quantum studium in veritate accuratissimè pervestigandâ posuerit perspicuè docet. Addit Iustinus, *occasionem* sibi datam ad hunc *Dialogum cum Tryphone* subeundum, sc. *cum Judæi more majorum* σὺν τοῖς τρόχηλοι *non solùm ipsi religionem Christianam vehementissimè insectarentur: sed & per emissarios suos apud Gentes veritatem Christianam nefario ausu blasphemè criminarentur*, & Christianis Confessoribus varia & horrenda probra objicerent, per qvæ credulos facilè gentilium animos & â Christianorum religione, alienarent, & in persecutiones Christianorum asperarent, omnibus modis *impedituri sic incrementa regni Christi, & ab hoc non seipsos solùm: sed & gentes excluſuri, ac inter illos primariam Judaicæ perfidiæ operam studiumq; accommodaret Tryphon, permotum sese ad illum, quem cum Tryphone, Judæorum Doctore primario Ephesi habuerit, Dialogum.* Et de his qvidem qvatuor ὁμολογημένοις Iustini Martyris, consensus est, nec ulla justa ratio dubitandi.

§. 12. Tantus tamq; vetustus scriptor, Philosophus, Christianus, Theologus, Martyr, qvi non gemens & invitus: sed λαμπρῶς καὶ χαίρων τὸν ὑπὲρ Χριστοῦ θάνατον (*splendidè & læto animo pro Christo mortem oppetiit* (verba sunt Photii) pro religione Christianâ fortissimè contra Iudæos & Gentes ac harum Philosophos militavit, apud ipsos Cæsares, religioni infensos Confessor impavidus fuit, articulos Christianæ religionis longè multos dextrè contra varias hæreses & infideles explicavit, multa de historiâ primitivâ utiliter notavit, & fideliter monuit e. c. de *ratione celebrandæ Cœnæ Dominicæ* (. *ritibus veteris Ecclesiæ*, (in qvibus nihil deprehenditur de *histrionicâ repræsentatione rituum gestuum, actuum, & verborum Canonis Missæ Papistici*) de *precibus circa Eucharistiam*, de *supplicationibus publicis, in quibus solus Deus in nomine Jesu Christi invocatus* memoratur, sine ulla mentione

Patrocinij

Patrocinij vel invocationis S. Angelorum ſ. ſanctorum defunctorum vid. ille Apolog. 1. Notavit jam olim Magnus noſter Chemnitius Perionii Sophiſticam depravationem loci Iuſtini: *Perionius*, inqvit, *ex Juſtino conatur invocationem ſanctorum probare:* qvo autem *candore*, & *quâ fide*, ſtatim ſubjungit. Diſputatio Iuſtini fuerat de *Atheiſmo* â Gentibus Chriſtianis objecto. Reſponderat Iuſtinus, admittendo *Chriſtianos eſſe Atheos* ſc. in *reſpectu, vel oppoſitione negativâ Deorum Gentilium ſ. putativorum* (τῶν νομιζομένων) at non in reſpectu ad *unum illum verum Deum:* ἐκεῖνον, inqvit, πατέρα, καὶ τὸν παῖ ἀυτῦ ἡμῖν (ἐλθόντα καὶ διδάξαντα ἡμᾶς τοῦτα καὶ τὸν ἄλλον ἑπομένων καὶ ἐξομοιουμένων αὐτῷ ἀγαθῶν Ἀγγέλων στρατὸν) πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνῦμεν, in qvâ ſententiâ Perronius, voces illas: τὸν στρατὸν τῶν ἀγαθῶν Ἀγγέλων ſ. *exercitum bonorum Angelorũ*, objectivè refert ad verbũ σεβόμεθα καὶ προσκυνῦμεν, ut ſenſus ſit: *Nos colimus, & adoramus Patrẽ, Filium, Angelos, & Spiritum S.* cum Caſus ille accuſativus ſ. *exercitus ille Angelorum*, referendus ſit ad verbum διδάξαντα, ſ. ad *Filium Dei* docentem ſ. *revelantem myſteria illa non ſolùm hominibus:* ſed & *Angelis*, eo modo, qvi explicatur Epheſ. 3. 10. 1. Pet. 1, 12. Ita in *ſtatu poſt hanc vitam*, nullum agnoſcit *locum pœnitentiæ & reconciliationis cum Deo*, commendatâ ſententiâ ſanis ſermonibus Chriſti conſonantiſſimâ: ἐν οἷς ἂν ὑμᾶς καταλάβω, ἐν τούτοις καὶ κρινῶ i. e. *in quibus vos deprehendero, in illis etiam judicabo:* ſed & in reſponſ. ad qvæſt. benè multa ſunt, longè inſignia & uſui in Theologiâ ingenti futura e. c. qvod objicientibus Patrum autoritatem reſpondetur ab Autore: *Non tam attendendum, quid Patres illi dixerint: ſed quid Patres Patrum ſ. ipſi Apoſtoli?* qvod, utut alicubi negetur mortuis *ante reſurrectionem, anteacta vitæ retributio*, non tamen ſtatuatur ſive communis carcer omnium animarum in centro terræ (prout qvibusdam Patribus viſum) ſive πυρὶ καθαρτήριον ſ. purgatorium Papiſticum, commentum potius Platonico-Poeticum, qvàm

dogma Propheticum (qvippe de qvo in totâ Canonicâ V. & N. T. scripturâ, utut creberrima extet mortis & sepulturæ defunctorum memoria, nec testimonium, nec exemplum ullum: conf. qvoqve Nili Archiepiscopi Thessalonic. tractatus de purgatorio igne, in qvo doctissimè probat: *eorum, qui in Domino obierunt nullam esse punitionem post hanc vitam*) apertè in libro qvæst. 75. *Post animæ à corpore excessum statim sit bonorum & malorum distinctio. Ducuntur enim ad loca quæ eis digna sunt, bonorum quidem in Paradisum, improborum verò, ad loca inferorum, ubi custodiuntur, usque ad resurrectionem*, conf. respons. ad qvæst. 60. ad orthodoxos ibid. ad q. 75. 76. 119.

§. 13. Nihilominus in tam eleganti ceteroqvi corpore nõ desunt verrucæ. Eqvidem, qvod, Alphons. Castrens. Melchior Canus Card. Cajetanus, dum choro Patrum illustrum dicam scribunt, & errorem illis Psychopannychitarum vel potiùs Armenorum de *animabus sanctorum ante resurrectionem corporis à divinâ gloriâ exclusis*, tribuunt (qvos partim excusant, partim vindicant Sixt. Senens. Bibl. ad Apocal. 6, 9. Bellarm. tum qvoad Ioh. XXII. l. 4. de Rom. Pontif. l. 1. de Sanctorum beatitud. c. 2. tum qvoad alios Patres ibid. c. 1. 4. & seqq.) Iustinũ qvoq; allegent, & illius erroris reum agant, hîc in transcursu non excutiemus. Satis nunc esto, qvod Iustinus illorũ *qui in Domino obierunt* animabus separatis, utut rectè absolutissimum illum gloriæ & supremæ beatitudinis gradum, nullibi tamen illam *gloriam*, qvæ *verè beatum* faciat, denegaverit: qvin locus ille qvem Sixtus Senensis, Sinnichius & ceteri allegant, est ex libro qvæst. à gentibus positarum, & adeo non ex genuinis Iustini, cui jam antea qvoqve ex eodem libro sententiam meliorem sc. sic pro Iustino ab illo errore absolvendo militaturam allegavimus. Neqve enim nos Patres hîc accusamus, qvos utcumq; hîc cum suo Iohanne XXII. absolvere ab illo errore Bellarminus laborarit, loc. alleg. tamen alii Pontificii

cii scriptores publicè hîc illius erroris reos agunt. Nec solùm Alf. Castrens. Canus Canarien. Cajetanus, & ipse Sixtus Senensis: sed & plurimi alii, qvomodo Sinnichius in Saule ex Rege n. 254. *Tantò*, inqvit, *excusabilior fuit ille Johannis Pontificis, error, quantò plures & clariores videbatur habuisse à priscioribus scriptoribus Patronos*, qvos longo ordine ibidem allegat. Notamus autem hâc occasione qvoq; confessionem Cani & Cajetani: *Nec omnium, nec plerorumq; Patrum consensum circa Controversiam quamcunq; Theologicam indubiæ veritatis argumentum esse, neque pro norma veri posteris unquam venditari posse, licere scripturam S. exponere contra torrentem S. Patrum.* Ita sc. retractasse videbantur illi ceteroqvi de consensu Patrum contra nos adeo clamosi: ceterùm ne qvid concessisse nobis viderentur, subveniunt alii limitatione & reservatione mentali, sc. *nisi autoritas Ecclesiæ subsequentis accedat, id quod antea verisimilitudinis, non veritatis laudem merebatur definiendo & credendum præcipiendo*, qvomodo & Vasqvetz in 1. Thom. disp. 12. n. 2. *autoritatẽ Patrum etiam universorum humanam esse, nec momentum habere veritatis aliâ de causâ, quàm quod Ecclesia consensum istũ recipit.* Ita fides omnis Christiana in Unius Rom. Pontificis c. c. in controversiâ de animarum sanctarum beatitudine, in Benedictum XII. Joh. XXII. immediatum successorem s. ejus autoritatem infallibilem resolvitur conf. Bell. l. 1. de Sanct. beat. c. 2. & Sinnich. Saul. exRex n. 253. Cumq; non tantùm per necessitatem, ipsamq; Alfonsi de Castro l. 1. adverſ. hæreses ingenuam confessionem: *Non credo, aliquem esse adeo impudentem Papæ assentatorem, ut ei tribuere hoc velit, quod nec errare aut in interpretatione scripturarũ hallucinari possit, nam cum constet plures eorum adeo illiteratos esse, ut Grammaticam penitus ignorent qui fiat ut sacras literas interpretari possint?* sed & decisionẽ expressam Iuris Canonici distinct. XX. §. *Sed aliud*, in expositione scripturarũ Pontificib⁹ præferenda sit autoritas Patrum,

Patrum, (qvomodo & in controversiâ superiore ex loco Apocal. 6. l. 9. de *animabus sub altari* occasione interpretationis Bernhardi de *triplici animarum statu*, pro Bernhardo illustrium Ecclesiæ Patrum chorum allegavit Sixt. Senens. l. 6. annot. 264 n. 345.) nec in talibus absolutè definire debeat Pontifex: sed attendendo, qvid vetus ecclesia, vel in illâ Patres Catholici (*qui*, prout habetur in ipso jure pontificio l. alleg. *Pontificibus scientiâ præeminent, & propterea in expositionibus scripturarum pontificibus & horum constitutis ac decretalibus epistolis sunt præferendi*) senserint, qvomodo traditio vetus habuerit? circulo (cujus ceteroqvi in processu & disputatione de principio & regulâ fidei, ac Judice controversiarum plus vice simplici sunt convicti) hic qvoqve circumaguntur & turpiter principium petunt, qvin liberali illâ confessione principium sibi domesticum, si non penitus tollunt, tamen vehementer infringunt.

§. 14. Nec illud qvod in Apolog. 1. de libero arbitrio habetur, urgebimus. Loqvitur enim comparativè, *hominem* (non *lapidem*, non *ovem*) esse liberi arbitrii, qvatenus sc. homo, non *lapis*, non *brutum*, habet facultatem intelligendi, judicat deliberato consilio, hoc vel illud faciendum vel fugiendum (c. in objectis sensibus & rationi subjectis. Nihil inde pro Pelagianis. Ita qvod sententiam *de Angelorum & hominum genere* δεκλικῷ *virtutis* sic explicat ut concedat in illis δύναμιν ἐπ' ἀμφότερα τρέπεσθ (. *capacitatem naturalem, quâ possit & ad bonum & ad malum se vertere* ex modificatione boni (. objecti e. c. naturalis, moralis, civilis, licet explicatione commodâ mitigare.

§. 15. Periculosa planè assertio illa, qvâ *ante Christi adventum & Judæos & Græcos sive Gentiles, qui secundùm rationē vîverent, Christianos fuisse ac proinde servandos*, asserit Apolog. 1. & 2. & Hominem λογικὸν dici, qvia particeps est λόγυ ἤτοι χριστοῦ (. *Verbi*, qvod est *Christus*. Imposuit in posteriore τὸ ὁμώνυμον vocis λόγυ & λογικῦ

λογικῦ: Datur qvippe ὁ λόγ@ ἐνσώμ@τ@, ἐνυπόστ@τ@ c.c. Joh. 1, 1. 14. datu ὁ λόγ@ ἐνδιάθε@τ@, προφορικὸς qvalis est ἡ ἐκ@φ@ῆ θεόπνευστ@ (qvomodo τὸ λογικὸν ἄδολον γάλ@, ad qvod invitantur qvasi modò geniti à Petro 1. Ep. c. 2, 2. Syrus expressit, non per *Lac sincerum Rationale*: sed *verbale*, s. ipsum Verbum divinum אתרגגו לורא לממלתא איך דלחלבא נקרא ורוחנא i. e. *Concupiscite Verbum velut lac mundum & spirituale*, & eidem Syro ἡ λογικὴ λατρεία Rom. 12. 1. est תשמשתא מלילתא i. e. *ministerium verbo divino conforme*) Nec minùs altera, qvâ illos בני אלהים qvorum mentio Gen. 6, 3. (qvosq; veteres Expositores, Arabs, Chaldæus & ipsi Judæorum Magistri de Filiis Magnatum, Principum, Judicum intellexerunt, qvomodo Arabs reddidit: ورأوا اولاد الاشراف بنات الانسان لان ملاح هن & consonanter, Onkelos: בני רברבייא חזו ית בנתא אנשא ארי שפירן אנון i. e. *Filij Principum viderunt Filias (tenuiorum) hominum formosas esse*, ceteri autem per בני השפטים שהיו עושי משפט השרים והולכים בשליחותו של מקום אלהים בארץ vel i. e. per *Filios Judicum administrantium judicium DEI his in terris*, vel *Filios principum ambulantium in legatione Dei*) de *Angelis bonis, qui feminarum pulchritudine capti ad obscoenum earum amorem & concubitum delapsi sint, intellexit.* Pudendum sanè tantoq; magis detestabile dogma, qvantò purissimorum illorum Spirituum sanctior est & eminentior excellentia, de qvo proinde ipse Benedictus Pererius in Genes. c. VI. disp. 9. *Pudet dicere, quæ de optimis scriptoribus dicturus sum: adeo sunt non modò falsa: sed pudenda & absurda: dicere tamen cogit veritas, ne fortassè culpam propter eorum Virorum autoritatem probabile videatur, quod nullo modo probandum est. Fuit MULTORUM antiquitatis doctrina, sanctitatis laude præstantium Virorum sententia, Filios Dei, quos Moses narrat mixtos esse cum filiabus hominum fuisse bonos Angelos &c. &c.* Atqve dogma illud fuit traditio (qvod agnovit Tertullianus, nec ille solùm: sed & tot ac tanti autores) E. qvædam traditio utut Veterum Ecclesiasticorum consensu

firmata, est detestabile ac pudendum dogma; & adeo labile fundamentum, cui innititur fides Romano-Papistì a. Cumq; in explicationibus Scripturarum Jus Pontificium Principalitatem qvandam concedat Patribus & Scriptoribus antiqvis, præ ipsis Pontificibus, & tamen in tot ac tantis locis nudū latus agnoscere & explicationem locorum scripturæ, *tot ac tantâ antiquitatis doctrinæ & sanctitatis laude præstantium Virorum* autoritate consensuq; firmatam, deserere, nec deserere saltem: sed & *falsam imo pudendam, absurdam* proclamare teneantur, ubi tandem firmiter ipsorum fides consistere possit, ipsi viderint.

§. 16. Gemellum, etsi minùs pudendum, exemplum, Chiliasmus est (diversus tamen ab illo Cerinthianorum) qvalem ex XX. Capite Apocalypseos v. 4. (dum corticem potiùs verborum presserunt, qvàm πνευματικὰ πνευματικοῖς ἀνακρίνοντες, sensus spirituales & mysticos in libro Prophetico conf. Apoc. 1. 3. 22. 18. 19. evolverunt) vetustissimi qvidam Patrum & scriptorum Ecclesiasticorum, qvos inter & Justinus est in Dialogo cum Tryphone, tradiderunt. Urget ex V. T. locum Isaiæ 65. 20. seductus pravâ versione Græcâ, qvæ sic legit: κατὰ τὰς ἡμέρας τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς αἱ ἡμέραι τοῦ λαοῦ μου ἔσονται, i. e. *secundùm dies arboris vitæ* (*Hic*, inqvit Justinus, *in mysterio mille anni designantur*) *erunt dies populi mei*: ex N. T. autem *Apocalypsin* producit, in qvâ prædictum, *Christi fideles 1000. annos Hierosolymis peracturos esse, & postea universalem omnium simul resurrectionem fore, judicium q;*, qvâ ratione videtur & illis, qvi *hactenus Hierosolymis 1000. annis beatam vitam egerint denuo moriendum*, & in illâ καθολικὴν ὁμοθυμαδὸν ἅμα πάντων ἀναστάσει resurgendum, illud tamen optumè, qvod sententiam illam pertinaciter non defenderit, velut necessario credendam, confessus ultro: πολλοὺς καὶ τῶν τῆς καθαρᾶς καὶ εὐσεβοῦς γνώμης ὄντων χριστιανῶν τοῦτο μὴ γινώσκειν i. e. multos ex iis Christianis, qvi piæ puræq; sunt sententiæ, id non agnoscere. Nolumus pluscula ex minutioribus

bus afferre e. c. de *providentiâ creaturæ infernatis, Angelis commissâ*, de *LXXII. Interpretibus & totidem apud Alexandriam cellulis*, qvibus singuli inclusi, consonantissimam tamen, ipsis etiam verbis, translationem nec solius Pentateuchi: sed Canonis V. T. vel librorum omnium reddiderint (conf. Justin: Orat. *parænet.* ad *Gentes* & *Dialogum cũ Tryphone* conf. Bell. l. 2. de Verb. Dei c. 6.) de Prochronismo, qvo *regnasse*, ait, *Herodem in Judæa, quando Pt. Philadelphus libros sacros vertendos curarit*, qvod ingens παρόραμα Chronologicum non meretur epicrisin.

§. 17. Illud potiùs memorari meretur, qvod, ubi pro mille annorum regno Hierosolymitano, & Apocalypsi, testimonium producit, apertè Johannem illum, cui contigit ἀποκάλυψις, & cui duodecies acclamatus est Imperativus γράψον s. *Scribe* (ut in pudorem dari debeat Papismus, impudenter, tale qvid expressè mandatum, *falsum* asserens, &, *ex scripturis, nusquam apparere, Apostolos ex Domini mandato scripsisse*, ac inde inferens. E. *Christo & Apostolis propositum haut fuit verbum Dei restringere ad scripturam* vid. Bell. l. 4. de V. D. c. 3. & 4.) appellet ἕνα τῶν ἀποστόλων τοῦ Χριστοῦ i. e. *unum Apostolorum Christi*. Notum ceteroqvi, cum in antiqvitate inter alios minores, duo N. T. libri sc. Epistola ad Hebræos & Apocalypsis Johannis fuerint σημεῖον ἀντιλεγόμενον, Orientales, *Epistolæ ad Hebræos*, non item *Apocalypsi* faventiores fuisse, contrà, Occidentales magis huic, qvàm illi. Omittit sanè in γνησίοις Apocalypsin *Cyrillus* Hieros. & *Gregor. Nazianz.* nec minùs *Laodicena Synodus* can. 59. & Codex Canon. universalis Ecclesiæ n. 163. Dubitavit *Dionysius Alexandrinus*: qvin *Amphilochius* scriptor 5. seculo: *Apocalypsin*, inqvit, *Johannis, alij Canonicis inserunt: sed rursus longè plures adulterinam dicunt*: nec minùs seculo 6. Junilius Episcopus Africanus: De JOHANNIS, inqvit, *Apocalypsi apud Orientales admodum dubitatur*: nec negat Sixtus Senensis Bibl. S. l. 7. p. 776. & de Autore & de autoritate libri, ceteroqvi nobis Canonici, dubitatum usq; ad tempora Eusebii,

sebii, qvod imputat novo & inusitato, res sc. non gestas: sed futuras scribendi generi: & tamen, qvæ perpetua est PseudoCatholicis Latrunculis perversitas, qvicqvid usqvam in antiqvitate exorbitatum est, Lutheranis hæreticis hæretici imputant. Ipse Bellarm. l. 1. de V. D. c. 19. *ex nobis*, inqvit, *hæreticis Apocalypsin reßuit Lutherus, cui subscribunt Brentius & Kemnitius.* Sixtus Senens. Bibl. p. 772. *Lutherus*, inqvit, *& conjurati, quanquam apertè non audeant contra UNIVERSALEM Ecclesiæ assertionem hunc librum per seipsos damnare*, illum tamen callidè *sub aliorum personâ vituperant.* Qvæ adversarii censura criminis falsi manifesta, non indiget confutatione. Notetur autem hîc exemplum traditionis contradictoriæ, ac instabilis regulæ Papisticæ.

§. 17. Claudat ἐπίκρισιν hanc locus elegantissimus ex Justini Apologiâ 1. qvo de legitimâ *sacramenti Eucharistici* celebratione, qvalis in illâ Apostolorum temporibus proximâ ætate obtinuerit, causam omnem describit. *Solis*, inqvit, *qui dicitur, die, omnium qui vel in oppidis vel in rure degunt, in eundem locũ conventus fit: & commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde quiescẽte Lectore, Præses orationẽ (concionem) habet. Sub hæc consurgimus omnes & preces fundimus. Peractis precibus panis affertur & Vinũ & aqua. Et Præses similiter, quantum potest, preces & gratiarum actiones fundit, populusq; faustâ acclamatione, approbat & dicit: Amen! Hinc distributio fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ & participantur ab UNO QVO QVE præsente, absentibus autem per Diaconos mittuntur. Ceterũ fortunatiores & qui volunt, pro suo quisq; arbitrio, quantum visum est, contribuunt, quod apud præsidem deponitur, qui inde pupillis & viduis opem fert & qui propter morbum vel aliam causam egent, qui quoq; in vinculis sunt & peregrè hospites adveniunt, quippe ille omnium indigentium curator est.* Conferatur Paulus 1. Cor. XIV, 16. & seqq.

& cum his præsens praxis Ecclesiastica.

(:o:)

S. IRENÆUS MARTYR.

§. 1.

Irenæus natione *Græcus*, *Polycarpi* (qui Johannem audiverat) *discipulus*, Pothini Episcopi, qui Lugdunensem in Galliâ Celticâ regebat Ecclesiam, initio *Presbyter*, & dein, illo propè nonagenario, martyrio coronato, *Lugdunensis* in Galliâ *Episcopus*, Commodo Imperatore, *Eleutherio* autē, ac post hunc, *Victore*, Episcopis Romanis, floruit, & SEVERO Imperatore, qvi post datā per decenniū religioni pacē, dein Christianos crudeliter occidi mandavit, Martyriū, cū aliâ innumerabili Martyrum turbâ, populo inprimis civitatis Lugdunensis prope universo, in persecutione quintâ, & cum illo ἀγῶνι τῷ καλῷ cursum consumavit, occisus adeò non sub *Maximino*, qui cœpit regnare anno 235. nec sub Alexandro *Severo*, qui anno 224. Christi regnare cœpit, ac per 13. annos imperavit (sub quo nulla insignior persecutio) sed sub *L. Septimio Severo*, *verè severo* (qui circiter annum Dom. 194. imperium, publicis electionis Comitiis, quibus Dio Senator interfuit, adeptus, eodem, post 17. annos, in Britanniâ Victor, moriens, est defunctus) circa initium seculi 3. ut erraverint adeò, qui ex confusis *Severis* ultra a. C. 224. vel sub ipso etiam *Maximino Thrace* putarunt annum Martyris Irenæi: etsi absurdior etiam illa putatio, quæ fingit 80. annos Irenæi Presbyteri & Episcopi, inde ab annis Antonini.

§. 2. De pueritiâ sub Polycarpo sanctè exactâ, quin & de tempore, in quod sua, tunc scriptoris adultioris, ætas inciderit, ipse non tacet l. III. adversus hæreses c. 3. ubi & successionem Romæ Episcoporum post B. Apostolos *Petrum & Paulum*, qui *Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderint*, sibi succedentium

cedentium, ad suа usq; tempora, talem deducit: *Lino*, inquit, *succedit Anacletus, post eum, Episcopatum sortitur Clemens, huic Clementi succedit Evaristus, Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus, & ab hoc Telesphorus, qui etiam glorioſissimè martyrium fecit, ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco post Apostolos Episcopatum habet Elevtherius.* Pergit Irenæus, & cum ostendisset, quæ *in Ecclesiâ Romanâ*, per *Episcoporum successionem* ad suа usq; tempora, pervenerit, *veritatis præconiatio*, citat quoqve Polycarpum, quippe qui *Apostolorum discipulus*, nonnisi quæ *ab his didicerit, se aliosq; docuerit, Ecclesiæq; tradiderit*, & *hæc*, inquit, *sola sunt vera.*

§. 3. *Polycarpus* (verba sunt Irenæi l. alleg.) non *solùm ab Apostolis edoctus, & cum multis ex eis, qui Dominum Jesum viderunt, est conversatus: sed etiam ab Apostolis in Asiâ, in eâ, quæ est Smyrnis, Ecclesiâ constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in primâ nostrâ ætate. Multùm enim perseveraverat, & valde senex glorioſissimè martyrium faciens exivit de hâc vitâ.*

§. 4. Extat apud Eusebium l. 5, hist. Eccles. c. 19. Epistola Irenæi ad Florinum hæreticum, in quâ familiaritatis, quæ & Florino, & Irenæo discipulis cũ præceptore Polycarpo intercesserat, mentionem facit: *Ista*, inquit, *dogmata, Florine, Presbyteri, qui ante nos fuerunt, quiq; erant ipsorum Apostolorum discipuli, minimè tradiderunt. Vidi enim te, cum adhuc puer essem in inferiore Asiâ, apud Polycarpum, & in aulâ Imperatoris splendidè lauteq; vitam degebas & sedulò te Polycarpo probare nitebaris. Quia enim, cognitio, quam cum puero imbibimus, unà cum ætate accrescit simùl, & quasi vinculo cum ipso animo penitus copulatur, ea quæ tum gerebantur, multò firmiùs in memoria insident, quàm quæ nuper præterierunt, adeò ut & locum, in quo assidebat beatus Polycarpus, cum dissereret, istius eò accessum, & introitum, formam & modum vitæ, corporis*

corporis effigiem, disceptationes ac sermones, quos apud multitudinem habebat, & ut necessitudinem, ac vitæ usum cum Johanne & reliquis, qui ipsum Dominum vidissent, se habuisse narraret, & quo pacto memoraret eorum Sermones, quin etiam quænam ab illis de Domino audivisset, quomodo de miraculis ejus, de doctrinâ, de virtutibus, deniq; ab illis, qui fuissent suis oculis verbum vitæ conspicati, omnia scripturis consonantia, narraret, videar mihi rite posse recensere. Hæc eo tempore, per Dei misericordiam studiosè & attentè audiebam, atq; non chartæ & literis: sed interiori mentis cogitationi mandabam. Apparet hinc, sub quo Magistro exacta Irenæo adolescentia, & quæ præcipua Juveni Irenæo fuerint studia? sed & illud insigne, quod Patronos traditionum Pseudo-Apostolicarum, *nullâ scripturâ Apostolicâ contentarum, pari tamen pietatis affectu ac reverentiâ suscipiendarum*, Tridentinos, de autoritate Irenæi adeo in hoc argumento clamosos, pudefacere debebat, non recordari Irenæum alia sibi â Polycarpo *tradita*, velut ab Apostolis accepta, quàm quæ essent πάντα σύμφωνα τῶις γραφῶις *omnia consonantia scripturis.* Ad quas traditiones & Symphoniam Apostolicam, si causa religionis omnis revocabitur, tunc demum solida dabitur in terrâ PAX RELIGIONIS.

§. 5. De Presbyterio Irenæi sub Pothino, & successione illius in Episcopatu, quin & de ipso Martyrio, testes Eusebius histor. Eccles. l. 5. c. 4. & 6. Hieron. l. de Scriptor. Eccles. in Irenæo. Meminit uterq; *Irenæum jam tunc Lugdunensem in Galliâ presbyterum, à Martyribus ejusdem loci, ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatum Romam missum, honorificas super nomine suo, ad Elevtherum Episcopum pertulisse literas*, quas, cum non minùs de *Irenæo Presbytero* Zelota testentur, quàm superiores de Irenæo Juvene, ex eodem Euseb. lib. 5. histor. Eccles. c. 4. huc transponemus, ut sic constet undiquaq; pulcherrimè μαρτυρόμενον Irenæum fuisse. *Valere te in Deo optamus, Pater Elevthere! Has*

literas ad te perferre fratrem nostrum Irenæum, & ministerij consortem rogavimus, teq; obsecramus, ut illum, utpote studio incredibili erga testamentum Christi flagrantem (s. prout Græcè Euseb. ζηλωτὴν ὄντα τὴν διαθήκης τοῦ Χριστοῦ) *gratiâ & benevolentiâ præ cæteris complectaris.*

§. 6. Nec minùs Irenæi Episcopi, celebrantur κοινωνικὰς s. communicatoriæ *ad Victorem* Episcopum Romanum, in controversiâ de *die Paschali*, cujus historiæ occasione, utilissimâ digressione, Socrates hist. Eccl. l. 5. c. 21. excurrit in accuratiorem, de differentiis *consuetudinum, rituum, traditionum* dissertationem, & sententiis & exemplis illustrem. Monet ibidem, *nec à Servatore, nec ab Apostolis festorum observationem lege aliquâ, minùs, sub sanctione pœnali, præceptam: Apostolis propositum haut fuisse, condere leges de festis:* sed de *regulâ vitæ & pietatis.* Nec solùm legem de festis in N. T. nullam: sed & illam *rigorosam Festorum dierum impositionem*, vel *obligationem, Apostolis & Evangelio* contrariam, ab Apostolo damnatam Gal. 4, 10. Coloss. 2. 16. Hebr. 7, 12. c. 10, 1. ut talia sub *opinione necessitatis* observare *Judaismi* potiùs sit, quàm *Christianismi:* multò minùs digladiandum de *præciso die Paschali*, cujus hactenus diversissima fuerit observatio *orientis & occidentis*, salvâ charitate Christi: aliis (prout ferè tunc in oriente) celebrantibus die 14. cum Judæis, aliis non nisi die Dominico: illis quartadecimanis, *Johannem*, his Dominicanis, *Petrum & Paulum* pro se citantibus. Et hoc thema fuisse Irenæi adversus Victorem, qui ἄμετρα θερμανθεὶς s. *supra modum iracundiâ fuerit inflammatus* in τεσσαρεσκαιδεκατήτας s. *Quartadecimanos*, ad fulmen usq; excommunicationis, cui opposuerit se Irenæus, & rectè: quia οὐδεμία τῶν θρησκειῶν τὰ αὐτὰ ἔθη φυλάττει s. *nulla religio eosdem ritus servat:* & quia sæpè, qui *in fide maximè consonant*, διαφωνοῦσι περὶ τὰ ἔθη πρὸς ἑαυτοὺς, s. *de ritibus inter se dissentiunt.*

§. 7. Nota-

§. 7. Notavit idem Hieron. l. de Scr. Eccles. *Feruntur*, inquit, *Irenæi Epistolæ ad Victorem Episcopum Romanum, de quæstione Paschæ, in quibus commonet, eum non facilè debere unitatem Collegij scindere: siquidem Victor multos Asiæ & Orientis Episcopos, qui à 14. Lunâ cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat. In quâ sententiâ ij, qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus.* Plenissimè autem ante Hieronymum rem tunc gestam descripsit Eusebius hist. Eccl. l. 5. c. 22. 23. 24. in epistolâ *Polycratis* Episcoporum in Asiâ Præsidis, ad Victorem & Eccles. Rom. in quâ Polycrates allegat *Philippum Diaconum, Johannem, Polycarpum*, magnamq; posteriorum Martyrum turmam pro 14. lunâ: nec minùs, cum jam totius Asiæ ecclesias excommunicasset Victor, *acriter & acerbè* notatum in *Victore*, tum ab aliis Episcopis, tum ab *Irenæo*, missis Romam literis, sub nomine Fratrum in Galliâ, *probantium quidem mysterium Dominicæ resurrectionis die Dominico celebrari:* Zelum tamen *Victoris, fulmen excommunicationis in Ecclesias orientis* (quibus *nec traditio* defuit, nec *observationis vetustæ consuetudo*) maximè improbantium, quâ de materiâ in ipsâ Irenæi Epistolâ apud Eusebium l. 5. c. 24. pulcherrima plurima legere licet.

§. 8. Apparet inde non solùm, quam lubrica *traditionis Papisticæ regula* sit, etiam, ubi sub *Apostolorum nomine* allegatur, quamq; nec in hoc desit judicium contradictorium: sed & non agnitâ Irenæo illam infallibilitatem *Unius*, qui jam dudum toti orbi imponitur & imponit. Ceterùm observare non minùs inde licet, Irenæum sic pro domo Domini contra ipsos etiam Sanctos ceteroqui *Victores*, nec minùs contra hæreticos, fuisse *Zelotã*, ut tamẽ *pacis Christi* fuerit *studiosissimus*, & verè (prout gente Græcus, Græco nomine est appellatus) Εἰρηναῖος s. *Pacis & Concordiæ Ecclesiastica studiosus*, cui sc. idem studium fuerit, quod deinceps Greg. Naz. in disputatore Theologo requisivit;

ſivit ſc. οὐκ ἀπαιδεύτως παιδεύειν, οὐδὲ ταῖς ὕβρεσι βάλλειν, μὴ τῷ σκληρῷ τραχύνειν, μηδὲ τοῦ δέοντος θερμότερον. ἀλλ' ἐννόμως μαχόμενον εἰρηνεύειν. orat. 26. & 32. ut rectè tantum confeſſorem & Doctorem Epiphan. hær. 42. μακαριώτατον, καὶ ἁγιώτατον Εἰρηναῖον, Ἀποστόλων διάδοχον ſ. *beatiſſimum & ſanctiſſimum Irenæum ſucceſſorem Apoſtolorum*, Tertull. cont. Valent. *omnium doctrinarum, præcipuè verò doctrinæ Chriſti curioſiſſimum exploratorem*, ex Pontificiis Lindanus in Panopliâ l. 4. c. 22. 46. 82. & Bell. l. de S. E. *antiquiſſimum & acerrimum Apoſtolicæ fidei propugnatorem, Virum ſanctiſſimum, graviſſimum, doctrinâ & pietate in libris plenum*, alii, *Martyrem fortiſſimum, Epiſcopum contra hæreſes vigilantiſſimum*, Chemnitius noſter, *fundamentaliter de primis principiis Chriſtianæ fidei diſputantem appellarint.* Sed de his magis conſtabit ex ſcriptis.

§. 9. Scripſit Irenæus longè plurima: ſed quæ maximâ parte jam inde â ſec. 9. illacrymabili longaq́; urgentur nocte, ſic ut illorũ ſive ſola nomina, vana habendi ſimulacra, ſive ſparſa hinc inde λείψανα vel fragmenta in Catalogis veterũ ſcriptorum Eccleſiaſticorum ſuperſint. Ad hanc *perditarum* ſ. *non extantium* claſſem pertinent Epiſtolæ illæ, quas contra quosdam, Romæ ſanam & ſinceram Eccleſiæ doctrinam adulterantes ſcripſiſſe memoratur apud Euſebium l. 5. hiſt. Eccl. c. 19. e. c. unam ad *Blaſtum*, quam inſcripſit de *Schismate*: alteram ad *Florinum* (cujus jam ſupra mentio injecta) de *Monarchiâ*, ſive quod *Deus non ſit Autor & fabricator mali* (culpæ) Contrarium ſc. defendit Florinus, imò hyperaſpiſtes contrariæ ſententiæ fuit, agnoſcente id & Irenæo, & ex hoc, Euſebio, nec minùs *Auguſtino* in l. de hæreſ. ad Quodvult Deum hæreſ. 65. 66.

§. 10. Mirum ſanè, tantum, tanti Doctoris *Polycarpi* diſcipulum, Irenæi commilitonem, in tam blaſphemum dogma, hîc abiiſſe, & damnatiſſimum Simonianorum, quiq; dein ſucceſſerunt

cesserunt, Selevcianorum, Priscillianistarum, thesin, de Deo Autore peccati acriter propugnare s. τρασσίζειν (uti Eusebius loquitur) conatum esse, sic ut dubium reliquerit, quid inter se & Simonem Magum interfuerit, præterquam, quod Florinus peccata *formalia* hominum, Deo autori attribuit, mala sc. opera â Deo in nobis fieri, *non solùm manente*: sed *& liberè cooperante nostræ voluntatis arbitrio*, cum contrà Simon Magus, negatâ hominũ ad peccandum libertate, hos ipsos non nisi *materialiter*, scelera perpetrare, *formaliter* autem Deum ipsum omnium illorum Autorem esse, blasphemè docuerit, conf. Sinnich. in Goliathismo p. 412. qui hâc ratione conciliat, quomodo Irenæus salvâ veritate, & illo Simonis Magi, antecessoris de *Deo autore malorum*, dogmate, scribere potuerit, *antiquiores Florino hæreticos nunquam ea dogmata, quæ Florinus prædicabat asseruisse*, cum tamen Simon Magus Protohæresiarcha videatur eadem tradldisse. conf. Vincent. Lirin. c. 34. Sed & illud memorabile, quod Florinianorum hæresi contraria planè data fuerit Coluthianorum hæresis: illis *omnia mala* (culpæ & pœnæ) his, *nulla* (pœnæ) DEO tribuentibus: Ecclesiâ contrà, utramq; illam contrariam propositionem hæreticam declarante, & mediâ inter utramq́; viâ incedente, sic ut contra *Florinianos*, mala criminalia s. *peccata* â Deo esse neget ex Deut. 32. 4. Ps. 5, 5. & contra *Coluthianos*: quædam *mala* (pœnæ sc. & afflictionum) â *Deo esse* defendat ex Isaiæ 45, 7. Amos 3, 6. Pulchrè Augustinus l. alleg. causam omnem compendifecit: Coluthiani, inquit, & Floriniani, quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloquiis resistebant. *Creat enim Deus mala, pœnas justissimas irrigando, quod Coluthus non videbat: non autem malas creando naturas, atq́; substantias, in quantum sunt naturæ atq́; substantiæ, uti Florinus errabat.* Opponit *Florinianis* illud, ex Genes. c. 1. v. ult. *Vidit Deus omnia quæ fecerat, & ecce erant valde*

rant valde bona. Coluthianis autem illud ex Isaiâ: *Ego Deus creans mala* Esa. 45.7. ad qvem locum ipse Calvinus: *Fanatici*, inquit, *homines, hanc MALI vocem detorquent, ac si Deus MALI i.e. peccati Autor esset: sed facilè apparet, quàm præposterè hoc Prophetæ testimonio abutantur. Antithesis enim id satis explicat, cujus membra inter se conferri debent: nam opponit PACEM MALO, h.e. ærumnis, bellis, aliisq; adversis.* Admittimus expressam ab ipsâ veritatis evidentiâ confessionem magni olim Adversarii, & subsumimus: Atq; *Zwinglius* (apertè scribens: *Numen ipsum autorem esse ejus quod nobis est injustitia*, Serm. de provident.) *Piscator* (clarè professus: *Deum ad flagitia impellere: Reprobos à Deo ad causas damnationis, ut impiè vivant, & sint vasa plena fecibus peccatorum, CREATOS esse*) *P. Martyr* (asserens: *Deũ quoquomodo eorum quæ malè fiunt, CAUSAM dici posse & Viros doctos Deum esse causam peccati concedere conf.* Pisc. disp. de præd. Mart. L. c. p. 199. & 828.) imò *Calvinus* ipse docens: *Ex Dei ordinatione hominibus iniici peccandi necessitatem* vid. l. 1. Inst. c. 23, 29.) asserunt: *Deum esse autorem mali s. peccati.* E. illi sunt *Fanatici*, & *Floriniani*, atq; sic Calvinus αὐτοκατάκριτος.

§. 11. Propter eundem Florinum in errorem Valentini prolapsum, conscriptum quoque ab Irenæo librum περὶ ὀγδοάδος s. *ogdoade* (Hieron. περὶ ὀγδοαστῶν) meminit Eusebius, in cujus operis extremitate, non solùm se *temporibus Apostolorum vicinum* significaverit: sed & elegantissimam subscriptionem addiderit, quam in eo libro repertam descripserunt Eusebius & Hieronymus talem: *Adjuro te, qui hunc librum transscripseris, per Dominum nostrum Jesum Christum & per gloriosum adventum illius redituri ad judicandum vivos & mortuos, ut studiosè conferas, quod transscripseris, & accuratè ad exemplum, unde transscripseris, emendes, & sacramentum illud, quo te obligaverim, similiter descriptum in exemplar inscribas.* Utinam autem ex

autem ex voto hoc Irenæi, quod non minùs aliorum fuit patrum Catholicorum, actum semper fuisset sive â descriptoribus, sive ab Interpretibus, nec sive per oscitantiam, sive per corruptionem & castrationem violentâ, cujus testis index ex purgatorius Papisticus, hîc in patrios cineres peccatum! Sic sine dubio, accuratioria haberemus, illorum, quæ sancti Patres Catholici olim scripserunt, & cum posteritate communicare voluerunt, exempla. Neque alio fine vel Irenæus illa commentariis suis apponere, vel Eusebius & Hieronymus voluerunt narrare, quàm ut *veteres illos & verè pios Viros, tanquam exemplum accuratissimæ in describendis libris diligentiæ nobis ad imitandum proponeremus.*

§. 12. Præter illa edidit quoque *volumen contra gentes* inscriptum *de scientiâ*, librum Euseb. l. 1. hist. c. 25. judicio, *brevissimum quidem: summè tamen necessarium*, & alium de *disciplinâ*, quin & librum *de Apostolicâ prædicatione*, ad *Marcionem Fratrem*, & librum *variorum tractatuum* s. *variarum rerum disquisitiones*, nec non *epistolas ad Victorem Episcopum Romanum* de *quæstione Paschali*, quorum tamen nihil sub certo titulo s. nomine recensitum â *Photio* Constantinopolitano in amplissimâ Bibliothecâ s. *Myriobiblio*, in quo altum de his & superioribus Irenæi scriptis silentium, præterquam quod generaliter, alia varia sub Irenæi nomine circumferri meminit, inquibus Ecclesiasticorum *dogmatum veritas spuriis rationibus fucari videatur*, quod *Victorem Romanum crebris literis hortatus Irenæus fuerit, ne propter dissensionem de die Paschali ab Ecclesiâ aliquos abdicaret*, ut quæ ex Eusebio, & Hieronymo recensuimus, ætate *Photij*, & medio adeo seculo 9. jam sive intercidisse, sive corrupta, tunc fuisse, videri possit.

§. 13. Ex genuinis Irenæi scriptis ad nos non pervenerunt, nisi quinq; libri *adversus hæreses Valentini & similium*, qui

& *doctrinam* Irenæi multiplicem, & contra genus hæreticorum, monstrosissimis sententiarum involucris, inhospitis tesqvis, abditisq, ac ne doctissimo cuiq; facilè penetrabilibus Satanæ profunditatibus, horridum, disputandi *acumen*, & insignem prudentemq; *Zelum* ac *pietatem*, vehementer loquuntur. Frequens hujus *operis contra hæreses* editi mentio apud *Eusebium*, qui & benè multa in laudem Autoris & operis facientia, ad probandum *fidem Ecclesiæ illorum temporum, & consonantiam Apostolicam*, nec minùs ad publicandum Irenæi de scripturis & traditione verè Apostolicâ judicium, ex his libris in suos Commentarios transtulit vid. ille l. 5. de Hist. Eccl. c. 6, 7. 8. *Irenæus*, inquit, *in tertio libro operis sui contra hæreses editi, dum Rom. Pontificum successionem tradit, eorum etiam Catalogum ad Elevtherum usq; recenset, unde licet conjicere, illud ipsum opus, ipsius Elevtheri memoriâ, ab eo compositum esse.* Subjicit dein Eusebius, illa quæ leguntur in Irenæo l. 3. c. 3. & jam supra sunt â nobis adducta §. 2.

§. 14. Ita c. 7. Eusebius: *Irenæus*, inquit, in *secundo libro ejusdem operis clara divinæ & admirabilis virtutis judicia in Ecclesiis quibusdam ad suam usq; ætatem fuisse residua, his ferè verbis commonstrat:* Snbjungit immediatè, quæ quoad sensum habentur apud Irenæum l. 2. adv. hæres. c. 58. Eusebius sic recitat: *Plurimum abest, ut hæretici possint mortuum suscitare, sicut Dominus ipse, sicut ejus Apostoli prædicationis subsidio adjuti, sicut alij â fratribus complures suscitarunt. Sæpe numero autem aliquâ de causâ necessariâ idipsum postulante, Spiritus mortui, propterea quod tota Ecclesia illius loci cum jejunio & multâ intercessione Deum rogabat, in corpus rediit, & hominis vita sanctorum precibus est donata.* In Irenæo autem hæc habentur: *Hæretici dicenter se ex eâdem circulatione cum Jesu habere animas & similes illis esse, ad opera producti, quæ ille ad utilitatem hominum & firmitatem*

fecit,

fecit, nihil tale, nec simile neque secundum aliquid in comparationem quod venire possit, perficere inveniuntur. Sequenti propiùs ad Irenæi, prout hodie legitur, literam accedunt, quæ sic habet: *Si autem & Dominum per phantasmata hujusmodi fecisse dicunt, ad Prophetica reducentes eos, ex ipsis demonstrabimus, omnia sic à Deo & prædicta esse & facta firmissimè, & illum solum esse Filium Dei: quapropter & in illius nomine, qui verè sunt illius discipuli, ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisq; accepit donum ab eo. Alij enim Dæmones excludunt* (ejiciunt) *Alij laborantes aliquâ infirmitate per manus impositionem curant, & sanos restituunt. Jam etiam, quemadmodum diximus, & mortui resurrexerunt, & perseveraverunt nobiscum annis multis. Et quid autem? Non est dicere numerum gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia à Deo accipiens in nomine Christi Jesu crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens.* Addit quæ in Theologiâ Anti-Papisticâ notari merentur: *Ecclesia*, inquit, *nec invocationibus Angelicis, nec incantationibus facit aliquid, nec aliquâ pravâ curiositate: sed munde & purè & manifestè Orationem dirigens ad DOMINUM, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Jesu Christi in virtute, secundùm utilitates hominum, sed non ad seductionem perficit.*

§. 15. Nec minùs de Apostolicarum autoritate scripturarum pulcherrimum ex Irenæi l. 3. c. 1. locum citat, Eusebius sc. de *Matthæo*, quod prædicantibus verbum Dei Romæ Petro Paulo, & Ecclesiæ fundamenta jacientibus, Matthæus Evangelium inter Hebræos proprio illorum sermone ediderit: de *Marco*, quod discipulus hic & interpres Petri, illa, quæ ab eo prædicata acceperat, scriptis mandaverit, de *Luca*, quod hic Pauli Comes, Evangelium ab eo prædicatum in librum congesserit,

de *Johanne*, quod ille Domini discipulus, qui & supra pectus Jesu recubuerit, Ephesi Asiæ commoratus, Evangelium scripserit. *Omnes*, inquit, *isti unum Deum factorem cœli & terræ, à lege & Prophetis annunciatum, & unum Christum Dei filium tradiderunt nobis, quibus si quis non assentit, spernit quidem participes Domini, spernit autem & ipsum Christum Dominum, spernit verò & Patrem & est αὐθαίρετος, suæque saluti adversus, quod faciunt omnes hæretici.*

§. 16. Sed & ex l. 5. Iren. adv. hæres. citat Eusebius l. 5. hist. Eccl. c. 8. de Johannis Apocalypsi, c. 15. 18. & mysterio Antichristi nominis numero 666. quæ mutatâ nihilominùs literâ, sic habent hodie in Irenæo: *His*, inquit, *sic habentibus, & in omnibus antiquis & probatissimis scripturis numero hoc posito, & testimonium perhibentibus his, qui facie ad faciem Johannem viderunt, & ratione docentibus, numerus nominis bestiæ, secundum Græcorum computationem, per literas, quæ in eo sunt, 666. habebit, non 616. Quomodo quidam sequentes idiotismum, & medium frustrantes numerum nominis, 50. numeros deducentes, pro sex decadis unam decadem volentes esse.* Et interpositis quibusdam conjecturis de numero illi Bestiæ dando in voce ΛΑΤΕΙΝΟΣ vel ΤΕΙΤΑΝ, subjungit: *Nos tamen non periclitabimur in eo, nec asseveranter pronunciabimus, hoc eum nomen habiturum, scientes, quoniam, si oportuerat, manifestè præconiari præsenti tempore nomen ejus, per ipsum utique editum fuisset, qui & Apocalypsin viderat (per Johannem sc.) Nec enim ante multum temporis (Apocalypsis à Johanne) visa est: sed penè sub nostro seculo ad finem Domitiani imperij.* Apparet inde quàm diversus ab Alogianis, *Johannis Evangelium & Apocalypsin velut scripturas supposititias respuentibus* vid. Aug. l. de hæres. n. 30. Irenæus fuerit, quo loco *Apocalypsin* habuerit, quam & autoris, & libri ætatem, sic ut *Johannis* scriptoris *Apocalypsos* ætas proxima fuerit, seculo Irenæi, & idem penè seculum. Ostendit dicto loco Eusebius, citatis textibus, quod-

quodnam judicium fuerit Irenæi de *Epistolis Johannis & Petri*, de libro *Pastoris*, de *interpretatione* τῶν *LXX*. conf. l. 5. c. 8.

§. 17. Meminit ejusdem operis Hieron. l. de Script. Eccles. *scripsit*, inquit, *Irenæus quinq; adversus hæreses libros:* & hos solos libros ex omnibus Irenæi scriptis â se *velut genuinos Irenæi libros, agnitos* & lectos, testatur Photius in Bibl. num. 120. ubi & summarium singulorum describit librorum: *Primus*, inquit, *de Valentino agens, atq; ab impio ejus errore initium ducens, rursum quasi relato pede, & repetitâ altiùs origine, narrat porrò â Simone Mago, usq; ad Tatianum, qui Justini Martyris primùm discipulus, in errorem tandem hæreseos est præcipitatus. Disserit præterea de iis, qui propriè Gnostici appellantur*, itemq; de Cainis *execranda illorum dogmata exponens. In libro 2. refellit ea quæ ab hæreticis impiè referuntur. Tertius varia adversus illos adfert S. scripturæ testimonia. Quartus ab hæreticis objectas quæstiones deluit. Quintus, quæcunq; à Christo per parabolas dicta, factave fuerint, cum ex reliquâ ejusdem salutiferâ doctrinâ, tum ex Apostolorum epistolis, hæreticorum imposturis refellendis aptissima esse demonstrat.*

§. 18. Primus sc. illorum qui ex omnibus Irenæi monumentis ab Eusebio & Hieronymo recensitis supersunt, est ἱστορικὸς & ex professo αἱρεσιολογικὸς, in quo recenset errores tetros & diabolicos Valentinianorum de *innumerabilibus Diis*, de diversis Diis V. & N. T. quorum ille fuerit justus: *sed non bonus:* hic contra (quia non prout ille agat juxta τὸ ἀκριβοδίκαιον: sed τὸ ἐπιεικὲς) *bonus, non justus*; de *Demiurgo mundi hujus opifice*, de 30. *Aeonibus*, quos distinxerint in *ogodoadem*, in *decadem* & *dodecadem*, de *Aeonum Syzygiis*, 4. in ogdoade, 5. in decade, 6. in dodecade, quarum 5. in decade deriventur ex Syzygiâ 3. in ogdoade, quæ sit λόγος καὶ ζωὴ, 6. autem in dodecade, ex 4. in ogdoade quæ sint Ἄνθρωπος καὶ ἐκκλησία. Opponit horum furoribus sanctissimum Symbolum, s. brevem & orthodoxam de

Deo & homine confessionem l. 1. c. 2. unde constat, *quæ nostrarum hodie Ecclesiarum doctrina est, illam Irenæi ætate seculo post Christum secundo, in Ecclesiis Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Italiæ & ultra receptam fuisse*, atq; adeo Confessioni nostræ veram antiquitatem Apostolicam, & illam quæ ab initio Evangelii decucurrit, regulam non deesse. Subjungit διήγησιν s. narrationem de *dissidiis hæreticorum*, & hæresiaretis *Simone Mago, Cerintho, Ebione, Menandro, Marco*, moribus undiquaq; flagitiosissimis, verbi divini & sacramentorum corruptoribus & violatoribus sceleratissimis, abominabilium sacrorum ceremoniarumq; Magistris. Liber 2. est partim δογματικὸς, quo *Theologiam* s. doctrinam Apostolicam *de Deo uno, æterno, omniscio, omnipotente*, ἀπεγγράπτω, totius universitatis Angelorum, hominum, aliarumq; creaturarum, *conditore*, s. *creatore*, qui non sit *fictitius ille Demiurgus:* sed Pater *Domini nostri Jesu Christi, unà cum Filio unigenito* (quem Irenæus Polycarpi, & per hunc Johannis ἀπόδοσις s. ipsius styli studiosus Discipulus λόγον vel *sermonem* frequenter appellat) *& Spiritu S.* confirmat: partim autem est ἐλεγχικὸς, quo *Gnosticorũ dogmata*, de mundi *primordiis*, de *Demiurgo*, de *Æonum ordinibus*, de μετενσωματώσει καὶ μεταψυχώσει plurimaq; *Platonicorum somnia circa animam* potenter confutat. Tertius partim est πολεμικὸς, ubi hæreticos *inexpiabilis flagitij, adulteratarum nimirum & truncaturum scripturarum* reos peragit, ac convincit: partim est ἐξηγητικὸς, quatenus post illa, symphoniam s. *consensum Prophetarum, & Apostolorum* de Domino Jesu θεανθρώπῳ ostendit. Quartus est κατασκευαστικὸς quo doctrinam partim de *Deo in utroq; Testamento non nisi uno*, & quoad voluntatem s. decretum de reparatione generis humani per Christum non arcano: sed patefacto, partim de *homine* (illa enim duo sunt totius disputationis Irenæi κεφάλαια sc. doctrina de Deo & de HOMINE) ejusdemq; per lapsum contractâ virium spiritualium nullitate probat.

Quintus

Quintus σωματικὸς (seu quo superiora recapitulat) & quoad *corporum resurrectionem* & beatorum in alterâ vitâ glorificationem, contra πνευματικὰ corporum à Gnosticis defensam, βιβαιωτικός. Et hæc summa v. librorum Irenæi.

§. 19. Apparet inde, sincerum fuisse M. Chemnitii de libris his Irenæi judicium: *Sunt*, inquit, *libri illi lectu dignissimi, quia fundamentaliter disputant de primis principiis Christianæ fidei. Hæreticis sc. scripturas rejicientibus, & sua absurdissima deliria Ecclesiæ, traditionum Apostolicarum nomine, obtrudentibus, exponit Irenæus, quæ sit vera traditio, Ecclesiæ ab Apostolis commendata, cujus summa comprehensa est in symbolo Apostolico. Unde quod cum scripturis & traditione s. symbolo non convenit, tanquam hæreticum rejecit. Deinde continentur valde multa bona doctrinalia de singulis ferè articulis fidei, de duabus naturis in Christo, de Eucharistiâ, quod non sit sacrificium, quale fingunt adversarij, de eadem fide qua salvati sint sancti Veteris & N. Testamenti. Notat* quidem Chemnitius tria 1. *quod durius & incommodiùs loquatur de libero arbitrio. 2. Quod minùs diligenter de discrimine Legis & Evangelij. 3. Quod non ponat satis explicatam sententiam de peccato originis:* sed in his excusatio facilis ex *scopo & primario ad hunc respectu*, qui in 1. erat destruere fatalem illam necessitatem, & *naturam mali*, qualem dein statuerunt Manichæi, & tamen nondum apparet, quid in eo desiderandum, quod Irenæus l. 4. c. 71. & alibi, libero arbitrio (Angelorum sc. & hominum ante lapsum) tribuit *potestatem electionis & liberrimam voluntatem, sive in bono perseverandi, sive deficiendi*, & post lapsum quoque, *libertatem naturalem* labendi. Quis enim de tali dubitaverit, vel sine ignoratione elenchi, hic κρινόμενον statuerit? Scopus in 2. erat disputare contra illud discrimen, quod ponebatur ab hæreticis, *in alio Deo Veteris, alio N. Testamenti*, in 3. non de *peccato originis:* sed de *causâ peccati*

cati, non Deo: sed Diabolo & homine ex professo agere, atq; adeò remonstrare: *Deum non esse causam peccati.* Et fatetur tamen Chemnitius: *Alibi de fide Christi, & de justificatione piè & commodè disserit Irenæus.* Item, *quando perspecta est causa & occasio, cur ita loquatur, tunc sine offensione & cum fructu posse legi.*

§. 20. In tam pulchro corpore verrucas dari, quid mirum? Et agnoscendæ quidem illæ: sed & illis ex rationario temporum studiorumq; tunc ignoscendum. Tales sunt lusus circa voces sanctiores sermonis Hebræorum, in quarum expositione deliquium non minùs Irenæi licet ex his observare libris, quàm idem, & vel vehementius in aliis aliorum Patrum scriptis, quibus e. c. quid *Hallelujah* significet, quid in Evangelio *Hosianna*, quid *Hephetha*, quid *Thalitha Kumi*, quid *Maranatha*, visum inexplicabile. Et quidem quæ de *Zebaoth magno*, *Adoneo*, *Eloeo* habet l. 1. adv. hæres. c. 34. ex Gnosticorum portentosa mataeologia, per modum narrantis monstrosæ sectæ dogmata somnia, ac tum historiæ sacræ, tum sacrosanctorum Dei nominum, corruptiones hæreticas commemorat.

§. 21. Magis in ipso Jesu nomine s. hujus etymologia sancto Patri imposuit, sive ipsa linguæ Hebrææ ignorantia, sive impostoris alicujus Judæi ab Irenæo consulti malitia. *Jesus* (inquit Iren. l. 2. c. 41.) *nomen secundum propriam Hebræorum linguam literarum est duarum & dimidiæ, SICUT PERITI EORUM DICUNT, significare Dominum eum, qui continet cœlum & terram: quia Jesus, secundùm antiquam Hebraicam linguam, cœlum est: terra autem iterum sura usser dicitur. Verbum ergo quod & cœlum & terra habet, ipse est Jesus.* Magnifica sanè conclusio: sed ex præmissis lubricis deducta, quales sunt (1) nomen יהושע esse literam $2\frac{1}{2}$. Nomen Jesu formaliter significare *Dominum, qui creavit cœlum & terram.* (3) Nomen JESU secundum antiquam Hebraicam linguam, esse *Cœlum*: (4) Terram

Terram dici Hebræis *sura usser*. Addantur ceteræ παραλειπόμενα in l. alleg. e. c. *Antiquas & primas Hebræorum literas & sacerdotales nuncupatas tantùm decem fuisse numero, Deum Hebraicè Barneth dici, & duas cum dimidiâ habere literas.* Et toleranda quidem hæc vel excusanda sunt παραδόξα extra disputationem, verùm, ubi contra versutissimos in nominibus & numeris agitur hæreticos, velut retinacula superstitionis potiùs, quàm fidei Catholicæ, ne præjudicent meliori causæ, sunt amputanda.

§. 22. Majus periculum Irenæo scriptori per traditionem illam adeò decantatam ipsi, de *ætate* JESU NAZARENI patientis conf. l. 2. c. 39. sc. Dominum Jesum habuisse tunc, *ætatem senioris* s. à *quadragesimo aut quinquagesimo declinantis in senectutem, quando patiebatur.* Rationes Irenæi sunt 1. *Christus per omnem venit ætatem, ut omnem ætatem sanctificaret.* 2. Triginta annorum ætatis *primæ indolis est juvenis*, & extenditur usq; ad 40. annum. 3. *Evangelium.* 4. Traditio *Seniorum qui in Asiâ apud Johannem discipulum Domini convenerant, omnium, testatorum Dominum Jesum quinquagenario proximum, idq; ipsum Johannem tradidisse:* nec tamen solum Johannem: sed & alios *Apostolos* αὐτόπτας Christi s. *qui cum Domino Jesu ingressi & egressi* eundem suis oculis vidissent & manibus palpavissent tale quid de *Jesu quinquagenario*, publicè testatos esse.

§. 23. Argumentum 1. à *sanctificatione omnis ætatis hominum* ad ἀνάκρασιν & vitam Christi his in terris *per omnem ætatem*, adusq; ipsam adeò *senectutem*, invalidum est. Sanctificavit Jesus populum non *per ætatis proportionem*, (ac si ætas sanctificantis correspondere debuisset ætati sanctificandorum, atq; sic, pueritia Jesu pueros, Juventus Juvenes, adulta virilitas Viros, & senes sanctificasset, vel sanctificare debuisset) sed *per satisfactionem & meritum, per proprium sanguinem* Hebr. 9, 12. 13. 14. c. 13. 12. Requisita fuit ætas ministerio publico apta & sa-

crificio pro peccatis Universitatis ex analogia Scholæ sacrificialis, congrua; ad illam non *senectus* admittebatur: *pueritia* tamen & *juventus* prærequirebatur, ut per hanc iretur in ætatem Magistri, quæ incipiebat ab anno 30. ex Lege in *militiâ sacrâ*, plenè ministerialem, etiam in onerosо ministerio Num. 4, 47 cum alioquin ad inferiora quædam ministeria vel Progymnasmata sufficeret annus 25. Num. 8, 24. unde & Servator â Johanne baptizatus, publicum jam ministerium aggressurus, dicitur fuisse ὡσεὶ ἐτῶν τελάκοντα ἀρχόμενος &. s. is qui tunc *cœperat esse 30. annorum* Luc. 3, 23.

§. 24. Licet autem locum hunc pro 30. suis æonibus hæreticè citarent & ad probandum nonnisi *unum ministerij annum*, & hunc, & alterum ex Isaiæ c. 61. 12. de *anno Domini accepto & die retributionis* accommodarent, Valentiniani, tamen nec satisfecerit Irenæus elisurus illâ de uno anno ministeriali sententiam, per objectam, ex illâ hypothesi JESU docentis & patientis ætatem juvenilem, minùs etiam ex loco Joh. 8. v. 57. probaverit Jesum tunc in disputatione illâ cũ Judæis jam ferè quinquagenarium, cum Judæi, hunc numerum, aut ut in mentẽ venit, protulerint, aut datâ operâ, quò minùs aberrarent, & ex abundanti, ultra quàm opus erat, numerum auctiorem expresserint, sic tamen, ut ne ipsi quidem pro quinquagenario Dominum Jesum tunc habuerint: sed longè infra: quippe confessi non positivè: *Tu 50. annos demum habes:* sed negativè *quinquaginta annos nondum habes:* ac si dicerent: longè adhuc infra quingenarium es, & tamen ætatem Abrahami, arrogare tibi audes, vel illum tibi, & te illi visum, ut taceamus, Chrysostomũ hîc legere: Τεσσαράκοντα pro πεντήκοντα. *Quadraginta annos nondum habes, & Abraham vidisti:* & addit: *Judæis habitum Christum* ὡς ἐγγὺς τῶν τεσσαράκοντα ἐτῶν s. *velut is, qui ad 40. annorum ætatẽ prope accederet: sed* missâ illâ lectione, retentaq; genuina, quæ est annorũ

τῶν πεντή-

τῶν πεντήκοντα, frustra fuit Irenæus, quando l. 2. c. 40. in hâc objectione s. confessione Judæorum ingens suæ traditioni firmamentum persuasit. *Ipsi*, inquit, qui *tunc cum Domino Jesu disputabant Judæi apertissimè hoc ipsum significaverunt, quando Domino responderunt:* Quinquaginta annos nondum natus es & Abraham vidisti. *Hoc autē consequenter dicitur ei, qui jam 40. annos excessit, quinquagesimum autem annum nondum attigit, nec tamen multùm â quinquagesimo anno abstitit: Ei autem qui sit 30. annorum, diceretur utiq;:* Quadraginta annorum nondum es. *Qui volebant eum mendacem ostendere, non utiq; in multum annos extenderent ultra ætatem, quam eum habere conspiciebant: sed proxima ætatis dicebant, sive rescientes ex conscriptione census, sive conjicientes secundùm ætatem, quam videbant, habere eum super 40. Irrationabile est enim omninò viginti annos mentiri eos, volentes eum juniorem ostendere temporibus Abrahami. Non ergo multum aberat â 50 annis. Non ergo anno uno prædicavit, nec 12. mense anni passus est. Tempus enim â 30. adusq; 50. nunquam erit unus annus.*

§. 25. Illud potiùs attendi meretur, cum tota sententia hæc Irenæi in traditionem resolvatur, insigne iterum hîc exemplum præberi lubricæ *traditionis*, ubi ex hâc abstractâ in rebus fidei disputatur. Sententia hæc de Jesu *quinquagenario* tempore passionis, & interpretatio illa loci Johannis c. 8, 57. sine dubio est erronea & falsa. Atq; illa deducitur ab Irenæo ex traditione, & quidem ex traditione incomparabili, sc. quæ habuerit *Autorem ipsum Johannem Evangelistam*, qui eam *tradiderit Senioribus Asiæ* omnibus, imò quam non solùm acceperint â *Johanne:* sed & *aliis Apostolis, qui Dominum Jesum viderant, & tale quid de ætate* Christi retulerant. Si ergo hæc tam splendida traditio tota in fermento, quid non metuendum de aliis & illis inprimis *Papisticis*, longè infra tantum vetustatis & autoritatis culmen positis?

§. 26. Quin ipse Irenæus qui usq; adeò immodicè σκηνώσεως Σωτῆρος terrenæ annos extenderat, ubi ad legitimandum illud annorum ætatis auctarium longe plures ministerii annos, & Paschata numerare potuisset, mirum, quantum de numero remiserit, dum l. 2. c. 39. inde ab anno 30. baptismati servatoris nonnisi *tria Paschatis & itinerarij JESU Paschalis tempora* ex Evangelistis colligit: sc. *primum* Pascha ex Johan. 2, 13. *secundum* ex Joh. c. 5. 1. *tertium* ex Joh. c. 11. 55. c. 12. 1. & seqq. quod ipsum tertium adeò, nec mense 12. sed 1. fuerit Servatori σωυρώσιμον καὶ ἀναστάσιμον, quâ sanè ratione ætas Christi non fuerit nisi 32. (vel si annus baptismatis habeatur trigesimus incipiens, non nisi 31.) solidorum annorum. Potuisset si non meliori, tamen pari ratione colligere 5. Paschata, & jam inde â 30. baptismatis sc. anno, 4. annos σκηνώσεως inter nos *Verbi incarnati*, sic ut anno 5. ineunte, & in quinto adeò Paschate, ipse Christus nostrum *Pascha pro nobis mactatus & oblatus sit* 1. Cor. 5, 7. rectissimè id observante Irenæo & in Hæreticis notante: *Ipsum*, inquit, *mensem, in quo Pascha celebratur, in quo & passus est Dominus, non duodecimum: sed primum esse qui omnia se scire jactant, si nesciunt, à Mose possunt discere.* Sed quicquid id est, licet Irenæus ad elidendum sententiam adversariorum de uno anno, illa de tribus temporibus & itinerariis JESU Paschalibus proposuerit, militant tamen hæc contra ipsum Irenæum, juxta quem â baptismate non saltim ter: sed longè sæpiùs itinerarium Paschale Domini legitimandum fuisset. Qui ergò hic usq; adeo defecit, ut ne triennium quidem integrum jam inde â Baptismo, Servatoris ætati per tempora Paschalia legitimare potuerit, nec deducere illam ultra annum s. 31. sive 32. mirum, quod tantum annorum auctarium Servatori attribuere ausus fuerit. Opponatur hic ipsi Irenæi assertioni, quod ille Valentinianorum sententiæ *de anno anno* ministerii Christi opposuit. *Quod*, inquit, *tria hæc Paschatis*

schatis temporanon sint unus annus, quilibet confitebitur. Pari jure licebit opponere, *quod sive tria, sive 4. vel 5. Paschatis tempora, non sint viginti circiter anni, omnis quilibet confitebitur.*

§. 27. Imputantur alia Irenæo, quorum in his V. libris reliquerit vestigia, sc. 1. quod *amplexus sit sententiam Chiliastarum & inde observatus ab ipsâ vetustate in Irenæo error in fundamento.* (Verba sunt Chemnitii, qui in Irenæi libris in explicatione aliquot locorum Apocalypsis agnoscit semina Chiliasmi) 2. quod statuerit *Satanam nusquam ausum dicere blasphemiam adversùm Deum, priusquam advenisset in terras Dominus, eò quod nondum cognosceret damnationem suam.* 3. Quod senserit, *animas exutas corpore, non statim frui glorificante visione Dei:* sed *abditas servari in diem resurrectionis.* 4. Quod *duplicem* statuerit *resurrectionem*, unam *animarum*, alteram *corporum*. Primum enim non adeo ex Irenæi libris, qui hodie extant, probatur: nec ausus Erasmus ἀμφιπμάτων rigorosus Censor in l. 5. tale quid objicere, etsi jam olim ab Hieronymo tale quid Irenæo imputatum. Vid. Hier. in Catal. Scriptor. Ecclesiast. in *Papiâ*, & l. 11. Ezech. ubi enarrans Ezechielis c. 36. *Non*, inquit, *juxta Judaicas fabulas, quas illi δευτερώσεις appellant, gemmatam & auream de cœlo expectamus Hierusalem, nec rursum passuri circumcisionis injuriam, nec oblaturi taurorum & arietum victimas, quod & MULTI nostrorum* (Latinorum) *Tertull. Lactant. Victorin.* Pictav. &c. *& ut Græcos nominem & primum extremumq; conjungã, Irenæus & Apollinarius pollicentur.* Inprimis autem in præf. 18. Comment. in Isaiam ubi prætermissis cæteris, sententiam de Chiliasmo tribuit *Irenæo Lugdunensi Episcopo, adversus quem Vir eloquentissimus, Dionysius Alexandrinus, Alexandrinæ Ecclesiæ pontifex elegantẽ scripserit librum irridens mille annorum fabulam & auream atq; gemmatam in terris Jerusalem.* Rectè autem Chemnitius, sententiam

tiam illam (prout quidem, interprete in locis allegatis Hieronymo, imputatur illis scriptoribus) appellavit *errorem in fundamento*. Nec enim, quod multi *Ecclesiasticorum Virorum & Martyrum*, sententiam non damnarunt, propterea planè damnabilem illam negarunt. Conf. Hieron. ad v. 10. c. XIX. in Jerem. Sixt. Senens. Bibl. S. l. 5. annot. 233.

§. 28. Secundum, velut ab antecessore Justino, dictum citat, & approbat velut benè dictum l. 5. commodeq; explicat, distinguendo sc. inter blasphemiam Satanæ nudam (quâ Satanas nudè per semetipsum) & organicam (quâ sc. prout olim per serpentem seduxit hominem: ita c. c. per Gnosticos, Valentin. Marcionitas &c.) blasphemat Dominum, inter *cognitionem de damnatione Diabolicam, ante adventum Domini, sub Prophetis, & post illum sub Apostolis*, unde *manifestam* magis cognitionem Diabolo tribuit *ignis æterni Satanæ parati:* quod ex *gradibus pœnarum* Diaboli & locis 2. Pet. 2, 4. Jud. c. un. 6. facilè conciliatur.

§. 29. Tertium ex sententiâ *Irenæi* unâ, quæ habetur l. 5. adv. hæres. c. 31. ab Erasmo præf. libr. V. Sixto Senens. Bibl. S. l. 5. annot. 345. ad locum Apoc. 6, 9. â Sinnichio, pro excusando Johannis XXII. Pontificis, qui, teste Gerson & ex hoc Erasmo, *coactus fuerit operâ Theologorum Parisiensium ad Palinodiam, coram Galliarum Rege Philippo, non sine buccinâ*, errore, colligitur vid. Sinn. Saul. Exrex n. 254. Ceterùm, licet, si probaretur illa mens Irenæi, nihil hîc peculiaris erroris objiceretur Irenæo: cum pro eâdem sententiâ ingentem numerum illustrium Ecclesiæ patrum, qui huic dogmati consonare, eidemq; robur aliquod præbere suo tam consonante testimonio visi sint citet Sixt. Senens. Bibl. S. l. 6. annot. 345. p. 714. & seqq. & Sinnich. l. alleg. vel propter Johannis XXII. excusationem, vel Benedicti XII. & Concilii Florent. definitionē, adeo in allegandis pro

dis pro illo errore Patribus facundi, tamen nec ex verbis Irenæi minutiùs excussis tale quid solidè probatur, cum nihil in illis sit, quod non excusare & piâ explicatione licebat emollire.

§. 30. Nec enim valet consequentia. *Discipulorum Domini* (verba sunt Irenæi) *animæ abibunt in invisibilem locum, definitum eis à Deo, & ibi usq; ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem: E. animæ justorum sanctè defunctorum, nequaquam admittentur ad visionem ac fruitionem Dei beatificam, nisi in consumatione seculi: sed interea in abditis terræ receptaculis continebuntur, sine visione DEI.* Ita nihil planè apparet consequentiæ in illo: *Animæ recipientes corpora sic venient ad conspectum Dei.* E. *animæ ante resurrectionem corporum nullo modo recipiuntur in cœlestem gloriam*, quod tamen posterius ex illo priori deducere conatus Erasmus. Intelligere illud licebat de *intensiore* (& quoad corpus redunitum, extensiore quoque) *gradu gloriæ æternæ*, & consumatâ sic omnibus numeris beatitudine, quâ gavisurus est totus homo post glorificationem corporis, quippe ante quam & sine quibus illa nõ obtinetur, ut adeò in illâ Irenæi sententiâ nil pro Psychopannychitarũ errore, nihil pro Limbo vel Purgatorio Papistico, quod nullum agnoverit Irenæus. Sed nec obstat, quod Irenæus præmittat exemplum Domini, *qui in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexerit, & post resurrectionem assumtus sit: quo ordine Dominum etiam sequuntur discipuli, quorum nemo est super Magistrum.* Ad solum ordinem novissimorum illa pertinent, in quo datur 1. *mors & per hanc aggregatio animarum sc. sanctarum, ad sanctas cum Christo s. damnatarum ad damnatas cum Diabolo.* 2. *Resurrectio corporum.* 3. *Immissio in gloriam vitæ æternæ.* Quin & *anima Christi separata* non fuit sine *visione Dei beatifica* conf. quoq; Aug. ep. 57.

§. 31. Sic

§. 31. Sic nec quartum illud satis ex Irenæo probatur. Nec enim valet illatio: Juxta Irenæum, *Animæ recipientes corpora, perfectè resurgent*. Ergo datur aliqua resurrectio animarum *imperfecta* ante recepta corpora. Addit statim Irenæus & explicat vocem *perfectè*, per: *corporaliter*. Statuit adeò: animas *in invisibili loco* usq; ad resurrectionem commorari, & *resurrectionem sustinere:* dein, *receptis sc. corporibus perfectè* i. e. *corporaliter* resurgere. Nihil hic, quod non facilè concilietur.

§. 32. Non desunt alia, quæ in scriptis Irenæi â Censoribus quibusdam velut veritati Catholicæ minùs consonantia, notantur. Quale quod ab ipso jam olim Erasmo motum notatumq; de *diei novissimi* sive *scientiâ* sive *ignorantiâ in Filio*, occasione illorum quæ lib. 2. c. 48. & 49. habet Irenæus, ac si sc. ipsi Dei Filio illã temporam ignorantiam imputaverit Martyr. Constant publicè loca, in quibus ipse Filius Orator Discipulos & per hos populum Christianum omnem ab inutili, vel noxiâ quoq; curiositate avocaturus & ad Vigilantiam & preces exhortaturus. *De die*, inquit *illo* (extremo) & *horâ illa, nemo scit* (*nequidem Angeli qui sunt in cœlo, neq; ipse Filius*) *nisi Pater* Marc. XIII. 32. quod non minùs de *Angelis cœlorum* negatur in loco Matthæi c. XXIV, 36. quin additur ibidem nova exclusiva: De *die illo & horâ nemo scit* (ne *Angeli quidem cœlorum*) *nisi Pater meus solus.* Neq; verò plus ultra l. alleg. habet Irenæus. Non ille ignorantiam diei novissimi ad ipsam divinam naturam Filii, vel ipsam naturam humanam s. intellectum Christi humanum actu personali consideratum extendit (qui cum Christum Deum creatorem confiteatur, illum ipsum ignorare simpliciter diem novissimum, statuere non potuit) neq; de *restrictione* sc. quo respectu Christo talis nescientia diei & horæ illius imputari potuerit, tunc solicitus fuit, vel ut illam expressis verbis

sis verbis adderet, ex ipso Scopo magis necessarium duxit, quàm vel Servator ipse, qui citra *limitationem* hoc παράδοξον Theologicum pronunciavit, vel uterq;, qui citra talem restrictionem Evangelista descripsit. Scopus sc. Irenæo l. alleg. fuit redarguere hæreticorum insanientem & arrogantem in mysteriis tractandis irreverentiam, qvâ *irrationabiliter inflati* (verba sunt Irenæi) *audacter inenarrabilium Dei mysteriorum* e. c. *ipsius generationis* λόγυ ex Patre scientiam jactabant, miserisq; quos seductũ ibant, auditoribus, hæreticè & promittebant, & fabulis hæreticis adulteratam inculcabant. Compescere illos Irenæus voluit argumento argumentorum, si extra respectum illorum quibus cum Servatori edisserenti sanctissimum illud apophthegma, & ipsi Irenæo illud applicanti, negotium fuit (illi enim erant *Apostoli*, hi insanabiles *hæretici*) consideretur, non alia ferè intentione prolato, quàm quâ ipse Dominus antecessor adhibuerat sc. ipsos Apostolos â curioso arcanorum temporum scrutinio ad preces & vigilantiam venerationemq; mysteriorum religiosam provocandi. Inde illa Irenæi: *Si Dominus ipse Filius Dei ipsum judicij diem & horam concessit scire solum Patrem, manifestè dicens*: De die illâ & horâ illâ nemo scit neq; Filius, nisi solus Pater Marc. 13. 32. *Si*, inquit, *scientiam diei illius Filius non erubuit referre ad Patrem, neq; nos erubescamus, quæ sunt in quæstionibus majora secundùm nos, reservare Deo.* Apparet inde & ex ipsâ sanctâ Irenæi intentione, quàm non ad oppugnandam per argumentum *nescientiæ diei & horæ novissimæ*, Filii Dei divinitatem, vel ipsam quoq; humanitati, communicatam, omniscientiæ divinæ majestatem illo sublimi exemplo usus fuerit, qui potiùs illo argumento â majore ad minus æquè ac in argumento ad Philippenses c. II. 5. Paulus, vehementissimè illam θεοπρέπειαν eminentiam assertum ivit: sc. si Dei Filius, idemq; verus Deus, qui quia Deus est, ignorare quicquam non

 potest

potest, nihilominùs in exinanitionis statu scientiam diei & horæ novissimæ velut maximè arcanorum, non Angelis solùm in cœlis: sed & sibi ipsi certo respectu denegat, & soli Patri vindicat, quantò magis fas est, *inenarrabilium* talium *arcanorum* s. mysteriorum scientiam, miseros mortales sibi nequaquam temerè arrogare: sed *Deo reservare?* Ita suppositâ in Christo omniscientiâ non minùs, quàm κένωσει voluntariâ, tantò fortiùs militat *Irenæi* argumentum, nec ullum inde fidei Catholicæ præjudicium s. periculum.

§. 23. Apparet id ex illis quæ sequuntur l. alleg. *Si quis itaq; nobis dixerit, quomodo ergo Filius prolatus est? dicimus ei, quia prolationem istam, sive generationem, aut quomodo libet quis vocaverit, generationem ejus inenarrabilem nemo novit, non Valentinus, non Marcion, non Basilides, non Saturninus, neq; Angeli, neq; Archangeli neq; Principes, neq; potestates, nisi solus qui generabat Pater & qui natus est Filius. Inenarrabilis itaq; generatio Filij cum sit, quicunq; enarrare nituntur, non sunt compotes sui, ea quæ inenarrabilia sunt enarrare promittentes.* Consonant quæ cap. 49. inserit: *In mysteriis credendum esse Deo & Verbo ejus cui soli dixerit:* SEDE A DEXTRIS MEIS! *cum nos adhuc in terrâ conversantes nondum adsideamus throno ejus.* Addit quæ non minùs pro absolvendo Irenæo ab abnegatæ simpliciter Filio Dei Omniscientiæ imputatione faciunt; *Etsi*, inquit, *Spiritus Salvatoris, qui in eo est, scrutatur OMNIA, & altitudines Dei, tamen, quantum ad nos, divisiones sunt gratiarum, ministeriorum, operationũ, qui sicut super terram ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus, ita de universis quæstionibus, ei, qui ex parte nobis præstat gratiã, concedere debemus, quemadmodũ Dominus horæ & diei agnitionem dimisit Deo, nec in tantum periclitari, vel in tantam audaciam venire, uti pendamus Deum & nondum inventa pro inventis habendo, impium adversus Deum argumentum fingamus.*

Hæc

Hæc sanè, prout omnia πᾶις γραφῆς σύμφωνα. vetustoq; scriptore & Martyre digna, ita ab omni Syncretismo hæretico, quoad hanc causam, Irenæum penitùs absolvunt.

§. 34. Sanè non probatur Irenæo illa verborum Salvatoris interpretatio, vel depravatio potiùs, quá nescire *diem & horam illam* Filius Dei dicitur, sc. *ad revelandum*, pro ratione personæ legati, *qui in arcanis revelandis tanquam nescium se gerere debet nec magis enunciare quàm si prorsus ignoret.* Unde addidit Irenæus: *Filius illius diei scientiam soli Patri concedendo, dixit quod verum est.* Postquam sc. constabat sic dixisse Filium, quis dubitare poterat, quin ille qui dicit: *Ego sum veritas*, dixerit quod verum est. *Verè* adeo, non simulatè, quodam respectu, Filius cum Apostolis loquens, *de die & horâ illâ non scivit:* nec magis ad revelandum nescivit, quam Pater ad revelandum scivit. Quod Servatoris axioma, quomodo de cetero ad Christum secundùm solam humanitatem actu naturali ratione scientiæ formaliter inhærentis (cujus etiam respectu προκοπὴ s. profectus in sapiētiâ ei tribuitur Luc. 2, 52.) & in ipso voluntariæ κενώσεως (per quam particulariter & quoties voluit etiam ipsam omniscientiæ ceteroqui unà cum omni plenitudine Deitatis σωματικῶς inhabitantis actum vel exercitium, non saltim in his *temporum novissimorum arcanis:* sed & aliis e. c. ficus *ad non inventos fructus maledictæ*, argumentis, continuit s. non incessanter exeruit, quia *seipsum exinanivit* conf. Marci XI, 13. qui tamen etiam *secundum carnem*, in statu exinaritionis *scivit quid esset in homine*, particulariter sc. & quoties voluit Joh. 2, 24.25.) statu referendum, sic ut per exclusivam SOLUS non Filius, quà Deus, imò nec simpliciter, quà θεάνθρωπος, non Spiritus S. excludatur, alibi & in Exegeticâ Theologiâ docetur & in Elenchticâ contra hæreticos defenditur. Satis nunc, Irenæum bona fide dictum Servatoris allegasse, in ipsâ applicatione nec

extendendo nec restringendo temere, peccasse, quin haut alieno â Domini & Magistri intentione scopo accommodasse.

§. 35. Nec aliter habet quod & ab Erasmo & ab aliis notatum in Irenæo lib. 3. c. 21. ubi in mysterio unionis personalis, & *commixtionis* & *adoptionis* utitur vocabulo. Non sanè sive Irenæi sive aliorum Patrum Catholicorum, qui *mixtionis* vel *permixtionis* usi sunt vocabulo, mens fuit præludere Eutychis hæresi, vel Eutychianam σύγχυσιν s. confusionem naturarum introducere: quin potiùs illis ipsis terminis duarum θεανθρώπων distinctarum naturarum intimam ἀδιαιρεσίαν & περιχώρησιν ὑποστατικὴν, quæq; illam sequitur κοινωνίαν ἰδιωμάτων, quæ deinceps Nestorio facta σημεῖον ἀντιλεγόμενον, penetrantissimè deferibere. De quibus ex professo Chemnitius noster in l. de hypostaticâ 2. naturarum in Christo unione. Quin, cum nihil aliud habeat Irenæus, quàm quod memoret l. alleg. *Filium hominis commixtum verbo Dei*, longe familiarius & paulo durius quoq; Augustinus illo *mixtionis* termino utitur, tum alibi, tum Epistola 3. *Sicut*, inquit, *in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa personâ mistura est animæ & corporis: in hâc personâ est mistura Dei & hominis. Cum enim verbum Dei permistum est animæ habenti corpus, simul & animam suscepit & corpus. Illud quotidie fit ad procreandos homines: hoc semel factum est ad liberandos homines.* Addit ibidem Aug. *Verbi & animæ velut duorum incorporeorum credibiliorem debuisse esse permistionem, quàm animæ & corporis, velut unius incorporei. Sed*, inquit, *hoc in nobis experimur, illud in Christo credere jubemur.* Monuit autem eâdem Epist. Augustinus non intelligendam talem mistionem, qualis datur, cum duo liquores ita commiscentur, ut neuter servet integritatem suam, quanquam (prout addit) in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur. Sed & Catachresin

chresin & improprietatē vocabuli ipse haut obscurè in hoc mysterio agnovit, unde subjecit: *Si tamen non indignè adista, mistura vel mistionis nomen admittatur, propter consuetudinem corporalium rerum, longè aliter se habentium aliterq; notarum*, scilicet eminentiæ mysterii non adeo convenire illa mistionis vel commixtionis vocabula sponte concessit.

§. 36. Sed & excusabile in Irenæo, alterum, *adoptionis* vocabulum, tum quod longè ante motam â Felice Orgelitano, & Elipando Toletano, inq; Synodo Francofurtana a. C. 794. decisam controversiam, imo & ante Nestorianos (quibus quantò magis illa de Christo secundum humanam naturam Filio Dei adoptivo assertio arrisit, tantò magis orthodoxis s. Catholicis suspecta fuit & periculosa videri cœpit) scripserit, tum quod non tali adoptione dicit Filium hominis factum Filium Dei, quæ est opposita Filiationi propriæ & naturali, sicut eam deinceps Elipandus opposuit & ferocissimè, sic ut auferendos de terrâ pronunciaret, qui Christum *secundum humanam naturam adoptivum:* sed *proprium & naturalem Dei Filium asserent*, defendere allaboravit. Ante & extra controversiam motam sæpè vocabulum incommodius usurpatur, & toleratur, quod ubi controversiâ motâ ab hæreticis perniciosè contra salutis principia applicatur, ab ipsis Catholicis retractatur. Neq; ergò sive Irenæi, sive paucorum aliorum, qui ante controversiam motam securiùs sunt locuti de Christo Filio Dei adoptivo Patrum autoritas opponi potest Synodi Francofurtanæ decreto, præprimis, ubi constat illos ipsos tales hypotheses creditorum tenuisse e. c. de unione hypostaticâ, de uno Dei Filio, ipsoq; Deo ex virgine nato, de humanâ Christi naturâ in immensam unigeniti Filii Dei personam assumta, quibus affirmatis, non possint non, mota controversiâ, & re minutiùs excussa, Elipando postulante adoptivum affirmari, naturalem proprium

& unigenitum Dei Filium negari, illi contrà, unigenitum proprium & naturalem Dei Filium affirmare, adoptivum negare: sed & aliter habet, ubi vocabulo in transcursu utitur aliquis veterum scriptorum & maximè πρὸς τὴν διδασκαλίαν, vel παιδείαν ἐν τῇ δικαιοσύνῃ, aliter, ubi ex instituto & professo inprimis πρὸς ἔλεγχον: ibi excusatior usus incommodioris vocabuli est (maximè si non detur in lingua nativa) hîc minùs. Atq, priori modo hîc usus vocabulo est Irenæus: *Propter hoc* (inquit) *Verbum Dei homo, & qui Filius Dei est, Filius hominis factus est, commixtus Deo, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei.*

§. 37. Ceterùm si ipsius authentici textus Græci copia daretur, forsan illas voces de *adoptione*, non ad unum hominem Mediatorem: sed ad illos, propter quos Verbum Dei factum est homo, referendas esse constaret, & sic magno compendio dubium omne expediretur. Et vel ipsa lectio latina, videtur talē interpretationem requirere, ut illud de *adoptione*, respectivum ad voces *propter hoc*, finem describat incarnationis, ita ut quærenti. *Quo fine verbum Dei factum sit homo*, vel, *propter quid Filius Dei factus sit Filius hominis*? respondeatur: ut *homo* (credens in unigenitum Dei filium regeneraretur, atq; ita) *per adoptionis ἐξουσίαν fieret* Filius Dei. Atq; sic hæc Irenæi sententia consonaret pulcherrimè illi Johannis aureolo Evangelico c. 1, 12, 13. Facit pro hac interpretatione præterea evitatio tavtologiæ & turbati ceteroqui sensus hujus in Irenæo sententiæ: Quomodo enim convenit post iteratas illas prædicationes: *Verbum Dei factum est homo*, item: *Qui Filius Dei est, Filius hominis factus, ipseq; sic filius hominis commixtus verbo Dei est*, nunc apponere, *ut fiat Filius Dei?* Cum contrà juxta posteriorem hanc interpretationem pulcherrima hîc & consolationis solidæ plenissima detur sententia, ac permutatio suavissima: sc. *Verbum Dei fit homo, Filius Dei fit filius hominis*, (quo fine? respondetur)

spondetur) ut homo (credens & ita) adoptionem recipiens fiat Filius Dei. Nihil hoc sensu cogitatur dulcius. Sed & contextus & scopus omnis pro hac explicatione militat. Disputat contra eos hæreticos, qui dicebant *Christum nude tantum hominem ex Joseph generatum*, qui *cum ignorent, eum qui est ex virgine esse Immanuelem, priventur munere ejus, quod est vita æterna, quippe cum non recipiant verbum incorruptionis, maneant debitores mortis, nec accipiant antidotum vitæ. Tales*, inquit, *non* RECIPIUNT MUNUS ADOPTIONIS, *quia contemnunt incarnationem puræ generationis, fraudantes hominem ab eâ ascensione, quæ est ad Dominum & ingrati existentes VERBO Dei, quod Incarnatum est propter ipsos.* Sequuntur nunc proximè verba superiora, & nectuntur illis præcedentibus causaliter. *PROPTER HOC enim Verbum Dei, homo, & qui Filius Dei factus est filius hominis* ut (homo credens in Verbum incarnatum s. Dei filium factum hominē, & ita) *adoptionem recipiens, fiat Filius Dei.* Syllogismus Irenæi. *Qui VERBUM Dei Patris, & adeò Incarnationem puræ generationis* s. *Dei Verbi contemnunt, munus* ADOPTIONIS *& antidotum vitæ non recipiunt.* Atq; Valentiniani & ceteri hæretici, qui *Jesum nudè tantùm hominem dicunt, ex Joseph generatum*, contemnunt VERBUM Dei Patris, & incarnationem puræ generationis. E. Probat majorem ex fine incarnationis *Dei Verbi*, quia sc. *propterea Dei filius factus est homo, ut homo* adoptionem reciperet & sic (*per adoptionem*) *filius Dei fieret.* Sed & sequens in contextu ratio pro eadem militat resolutione: *Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatē accipere, nisi aduniti fuissemus incorruptelæ & immortalitati.* Atq; ita nihil in Irenæo pro Christo secundùm naturam humanā Filio Dei adoptivo, quin potiùs contraria omnia, dum usq; adeo assumtam à λόγῳ naturam humanam ipsaq; unigeniti Dei filii filiatione donatā agnoscit, ut etiam dicat filium hominis

hominis commixtum VERBO Dei, ipsumq; Filium hominis esse Filium Dei vivi, Deum & Dominum, Regem æternum, unigenitum, eo modo, quo NEMO in totum ex Filiis Adæ sive Deus s. Dominus appelletur. Conf. lib. III. c. 11.

§. 38. Illud fortè paulò insolentius, quod l. 5. adv. hær. *Virginis Evæ Virginem Mariam factam esse*, scribit, *advocatam*. Et probanda quidem phrasis haut est: Ceterùm improbandus magis hujus loci abusus & περιβλέψις Papistica est, qua calumniosè unius vocabuli (quod ex scopo & intentione Irenæi à sensu erroneo, absolvere & mitigare licebat) aucupes, conclamant statim contra *unum Mediatorem & Advocatum Christum*, ad plures nostro nomine apud Deum *advocatos*, & sive meritorum, sive intercessionis respectu, *Mediatores*, ipsam inprimis θεοτόκον *quæ contriverit caput serpentis*.

§. 39. At procul ab hoc fermento Papistico IRENÆUS fuit. Non agnovit ille *Mediatorem Dei & hominum alium* quam *unum* θεάνθρωπον, de quo pulcherrimè, contra illa, quæ de Christo secundùm solam naturam humanam Mediatore defendit Papismus, confessor Irenæus l. 3. c. 20. Non agnovit ille corruptam, qualis in Latinâ Vulgata obtinet lectionem Gen. III. 15. IPSA: sed ad *semen mulieris* prædicatum referendo & ipsum emphaicè in genere masculino exprimendo more Paulino Galat. 3, 16. legit: IPSE. Non adeo agnovit, Mariam: sed *solum Christum contrivisse caput serpentis*: *Ipsum*, inquit, *semen mulieris prædestinatum, quod fuit partus Mariæ calcabit caput serpentis* conf. l. 3. c. 38. & lib. V. *Christus omnia recapitulans adversus inimicum nostrum bellum provocans elisit eum, qui initio in Adam captivos duxerat nos, & calcavit ejus caput, quemadmodum in Genesi dixit serpenti Deus: Inimicitiam ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen ejus:* IPSE (non IPSA) *qui ex muliere virgine habebit nasci*, IPSE de

quo

quo scriptum est: donec venerit *semen, cui promissum est*, & in *semine tuo*, QVI est CHRISTUS Galat. 3, 19. IPSE, *de quo in eâdem Epistola c. 4, 4. dicitur*: Cum venit plenitudo temporis, misit Deus FILIUM suum, factum de muliere, IPSE *observabit* (quomodo legit ex versione Græca antiqua Latina) s. conteret *caput tuum*. Pergit Iren. *Neq; enim juste victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum. Per mulierem enim dominatus est ab initio. Propter hoc & Dominus semetipsum Filium hominis confitetur, principalem hominem illum, ex quo ea quæ secundum mulierem est plasmatio facta, in semetipso recapitulans, uti, quemadmodum per hominem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem victorem ascendamus in vitam. Et quemadmodum per hominem accepit mors palmam adversus nos: ita nos iterum adversus mortem per hominem accipiamus palmam.*

§. 40. Agnoscere hîc licet πάλιν σύμφωνα τῆς γραφῆς, & pulcherrimam comparationem *Adami primi & futuri s. ultimi* Rom. V, 14. 1. Cor. XV, 45. qualem inter ipsam *Evam* & *Mariam* talem instituit sc. 1. *Eva Virum habuit Adamum. Maria quoq; prædestinatum, imo desponsatum Virum* sc. *Josephum* Matth. 1. 16. 19. cui Joseph Viro Mariæ acclamatum â Gabriele: *Josephe, Fili David, ne metue accipere Mariam uxorem tuam!* v. 20. 2. *Eva Virum quidem habuit, virgo tamen adhuc extitit*, quippe quam in Paradiso Adamus non cognovit Genes. IV. 1. *Maria licet desponsata Viro, Virgo tamen erat*, qvippe quam Josephus non cognovit. 3. *Eva Virgo inobediens. Maria autem Virgo obaudiens.* 4. *Eva per Angelicum sermonem seducta est ut prævaricaretur verbum Dei. Maria per Angelicum sermonem* (Luc. 1. 30, 35.) *evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo & dicens.* Ecce ancilla Domini! Fiat mihi secundùm verbum tuum. Inde jam 5. *Sicut Eva seducta est ut effugeret Deum: sic Maria suasa est obedire Deo, uti virginis Evæ virgo Maria fieret advocata, & quemadmodum astrictum est morti genus humanam per virginem, solvatur per virginem æquâ*

lance dispositâ virginalis inobedientiæ per virginalem obedientiam atq; sic 6. *Sicut Eva inobediens facta sibi & generi humano causa facta est mortis: sic & Maria virgo obaudiens & humano generi causa facta est salutis.* 7. Et quod *alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem.* Apparet in posterioribus his, ex illâ ipsâ comparatione & digressione homiliticâ licentiùs paululum & impropriè in Mariâ locutum Irenæum, quod tamen ex sensu Irenæi quà rem ipsam, Catholico, dum *calcare caput serpentis, & genus humanũ lethaliter â serpente antiquo læsum & mortificatũ vivificare*, non Mariæ: sed *soli Christo tribuit*, nec nisi respectu partus vel ipsius Dei, quẽ Virgo Maria Mater Domini vel SALVATORIS MUNDI concipiebat & portabat, illa & quidem in collatione cum solâ Heva, de Mariâ (cui ab Angelo, acclamatum χαῖρε ἡ κεχαριτωμένη, & ab Elisabetâ μακαρία ἡ πιστεύσασα Luc. l. 28. 42. 45.) prædicat, mitigandum potiùs, quàm odiosè exagitandum.

§. 41. Calumniantur passim Pontificii, Irenæi tempore non tam scripturarum, quàm traditionum quoddam regnum obtinuisse, & ad harũ sacrarium ablegatos tunc tum Germanos, tum alios credentes populos indeq; consilium pro emendatione temporum formant, sc. *revertendum ad traditiones*, cum nec in solis, Scripturis figere liceat perfectam regulam veritatis: sed Verbo scripto apponenda sit *traditio Ecclesiæ Romanæ*, cujus *potentiorem principalitatem* agnoverit ipse Irenæus. Ceterùm in ruborem illos dat clarissima Irenæi confessio lib. III, c. 1. *Non per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium venit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò PER DEI VOLUNTATEM IN SCRIPTURIS NOBIS tradiderunt*, FUNDAMENTUM & COLUMNAM FIDEI NOSTRÆ futurum. Memorat paulò post, *quo ordine* scripserint *Evangelistæ*, & vehementer invehitur in illos, qui *cum ex scripturis arguuntur, in accusationem ipsarum scripturarum velut obscurarum & variè dictarum, unde non possit ex his inveniri* veritas

ritas, ab *his qui nèsciunt traditionem, convertuntur*, ut agnoscere hîc habeant Pontificii antecessores & annulum suæ cum damnatissimis illis hæreticis cohærentiæ. Ecclesiam Romanam â Petro & Paulo fundatam asserit, & illi potentiorem principalitatem, tum propter urbem, s. metropolitanam & imperialem eminentiam, tum propter doctrinam verè Apostolicam tunc & longè infra Irenænm sincerè conservatam tribuit. Legitimet Roma doctrinam, ipsamq; veritatis præconiationem Apostolicam, prout illam legitimare sua ætate Irenæus potuit, ostendat plenissimè unam & eandem vivificatricem fidem esse, quæ & olim in Ecclesiâ ab Apostolis sit tradita, & hucusq; illibata Romæ vel in Ecclesiâ Papistico-Romanâ conservata, & non supererit de potentiori principalitate bellum. Quàm autem planè alia illa traditio, (de quâ ex hypothesi Irenæus l. 3. c. 4. *Quid si neq; Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis*, nonne *sequi oportebat ordinem traditionis?* cui ordinationi dicuntur *assentire multæ gentes Barbarorum, in Christum credentium*, sine *characlere vel atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem & diligenter custodientes veterem traditionem*) â traditionibus Papisticis? Hoc vero sola lectio illius, quam subjungit Irenæus, traditionis Apostolicæ, quæ tota scripturis apertissimè consonat, testabitur. Et, quàm ab illis temporibus, ubi ordinatio & successio illorum, quibus Apostoli Ecclesias & cum his veritatis præconiationem commiserunt, luculenta dabatur, ad nostra tempora, cadaver est consequentiæ?

§. 42. Ita S. Cœnam vel Eucharistiam quidem vocat oblationem, & de hâc Novi Testamenti novâ oblatione explicat locum Malach. l. 4. c. 32. sed non in sensu sacrificiali Missatico Papistico. De quo sacramento pulcherrimus locus est in Irenæo, l. 4. c. 34. *Qui est ê terrâ panis percipiens vocationem Dei jam non communis panis est: sed Eucharistia ex duabus rebus constans terrenâ & cœlesti:* Concludit inde porrò: *ipsam carnem quoq; & corpora nostra, percipientia Eucharistiam non posse jam in corruptio-*

ruptionem devenire, sicut nullâ habeant spem resurrectionis, cum ea corpore & sanguine Domini alantur Conf. l. 4. c. 31. 34. Fruſtra clariſſimo loco nebulas Berengarianas ſuffundere, inq; ſuas partes Irenæum trahere laborat Calviniſmus.

§. 43. Solent *Sociniani*, dogma Catholicum de SS. Trinitate & Chriſti æternâ deitate ac divinâ perſonalitate oppugnaturi, & ſuam hæreſin, de Chriſto *naturâ non niſi homine, qui Filius Dei quidem ſit: ſed ita ut initium hujus ſuæ filiationis primò demum in ſuâ nativitate ex virgine Mariâ, & propter hanc nativitatem & ulteriorem ſui ſanctificationem & exaltationem acceperit*, ipſo antiquitatis prætextu defenſuri, ad *Apoſtolos* (quos inter, *tandem etiam Johannes adventum Filij Dei ex cœlo, ut homo fieret, velut planè Antichriſtianum repudiaverit, damnaveritq;*) ad vetuſtiſſimos *Apoſtolicos Chriſtianos* Hieroſolymis, Romæ & alibi viventes & in Palæſtinâ â Judæis Nazarenos appellatos, provocare, & quod impudentiæ & blaſphemiæ hæreticæ faſtigium eſt, fidem Catholicam de SS. Trinitate, ipſo inprimis æterno Dei Filio, in utero virginis Mariæ incarnato, ipſi, levi immutatione, Cerintho, & vetuſtis Chriſtianis ex gentibus, qui adeò â ſententiâ Johannis & illorum Nazarenorum planè defecerint, ipſiq; Ignatii ſomnio imputare, & hîc ad Irenæum, ad Euſebium quoq; provocare, atq; inde dogma de antemundano quodam Dei Filio, Antichriſtianum & Apoſtaticum proclamare (conf. *Colloq. Alb. Jul.* & *Zwikkeri Pſeudo-Joſias* p. 24. 25.) Solent *Arminiani* κοινωνίαν ſuarum Eccleſiarum cum Socinianis excuſaturi, praxin temporum vetuſtiſſimorum (quando confeſſores Chriſti naturâ veri Dei & hominis & adeò θεανθρώπους, ceteros Chriſtianos JESU Meſſiæ, citra naturam in Chriſto divinam, Profeſſores, nihilominùs admiſerint, & cum his communicarint: conf. Apologia Remonſtr. p. 53.) velipſo Juſtino teſte, allegare; atq; ſic licentioſum nimis Adiaphoriſmum, qui exit in Puccianiſmum vel Atheiſmum, excuſare. Fuerit ita juxta illos, JOHANNES *Evangeliſta*, tandem, vel noviſſimâ ætate Soci-

te Socinianus: *Ignatius, autem, Polycarpus, Irenæus*, Apostatæ, Antichristi, & majore dogmatis parte *Cerinthiani*, qui, quem Johannes proscripserat, Ebionem & Cerinthum reduxerint, imò & doctrinam veram Johannis, & omnes illos antiquissimos Apostolicos, Nazarenos, orbe Romano imò universo, exterminarint, ut sic Irenæo & Polycarpo, potiùs ad *Cerinthum* contra *Johannem*, quàm ad *Johannem* contra *Cerinthum* provocandum fuerit, vel vehementer ab illis, suo velut Antichristiano dogmati, autoritatem Apostolicam JOHANNIS, non sine manifesto tunc crimine falsi accommodando, in universæ Ecclesiæ fraudem ac animarum omnium damnum exorbitatum. Juxta *Arminianos* autem, JOHANNES, Polycarpus, Irenæus, tenuerint quidem fidem Catholicam: ceterùm sic, ut non abhorruerint â *communione* illorum, qui quomodocunq; per negatam divinam JESU naturã, & personam, ipsius adeò Filii Dei incarnationem, θεανθρώπε unionem personalem, quæq; cetera sunt illius mysterii, saltim profiterentur Jesum esse Christum naturâ merum hominem & ratione conceptionis, s. *nativitatis ex virgine* vel *exaltationis*, Dei Filium.

§. 44. In pudorem autem illos dare poterat unus Irenæus, qui non aliud magis agit, tum in aliis tum in III. inprimis libro, quàm ut *plenissimè ostendat unam & eandem vivificatricem fidem esse, quæ ab Apostolis in Ecclesiâ usq; nunc sit conservata, & in veritate tradita, quam Polycarpus non solùm ab Apostolis in Ecclesiâ Smyrnæâ constitutus Episcopus & cum multis ex eis, qui Deum in carne viderant, conversatus: sed & ab ipsis Apostolis edoctus velut unã & solã veram, Ecclesiæ tradiderat, & martyrio gloriosissimo confirmaverat: quibus testimonium perhibuerint, quæ in Asiâ fuerint Ecclesiæ omnes, ante & post Polycarpum, non aliam habentes ab Apostolis annunciatam hominibus fidem, quâ confundere liceat, omnes sive per pravam φιλαυτίαν s. κενοδοξίαν vel quomodocunq; sive per cæcitatem s. per mentis perversitatem, aliter sentientes.* Igitur JOHANNES, idem docuerit, quod dein Polycarpus & Irenæ-

us, & sic, vel hi professione dogmatis blasphemæ, Photinianorum hæresi præiverint, vel (cum hoc scriberem non ausint novi Photiniani) Johannes quoq; Evangelista non aliam, quàm fidem Catholicam de SS. Trinitate & æterni Dei Filii incarnatione, & præconio & scriptis professus fuerit, nec minùs illi, hostes Cerinthianorum, quàm Johannes Cerinthi, aut Irenæus, & hujus Antecessor Polycarpus mendaciorum loquaciscimi fuerint. Quod si excipiant, allegari non posse in hâc causâ autoritatem *Irenæi*, frustra sunt, postquam ipsi ad Irenæum & Eusebium provocant; cumq; Irenæus ad Polycarpum Doctorem tantâ constantia, in quæstione de consonantia dogmatica cum scripturis & Apostolis prædicantibus, appellet, hic quoq; usurpare licebit illud Irenæi lib. III. adversus hæreses c. 3. *Polycarpus, Vir multò majoris autoritatis & fidelioris veritatis testis est, quàm Valentinus & Marcion & reliqui qui sunt* (vel erunt) *perversæ sententiæ* (Fr. David, Daniel Zwikkerus, & quotquot illius blasphemæ sectæ Cerinthianorum, Samosatenorum, Photinianorum, Socinianorum sunt Antesignani) Agnoscant se inter illos esse, quos ex quadruplici causa perversitate sententiæ laborare scripsit Irenæus & quorum antecessores fuerint, quales l. alleg. Euseb. l. 3. c. 26. ex Hegesippo describit tenebriones, & veritatis Apostolicæ depravatores.

§. 45. Nec minùs contra illam Arminianorum provocationem, ad praxin tolerantiæ veteris Ecclesiæ facit, quod & ipse Johannes Evangelista Ep. 2. v. 10. nec *domum recipere, nec Ave dicere permittat, si quis adveniens doctrinam Apostolicam non adferat, cũ qui tali Ave dicit, ejus malis operibus communicet*: sed & l. alleg. Irenæus de *JOHANNE Evangelistâ memorat: JOHANNES*, inquit, *DOMINI Discipulus, in Ephesoiens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exilijt de balneo non lotus dicens: timeo, ne balneum corruat, cum intus sit Cerinthus inimicus veritatis.* De Polycarpo autem: *Polycarpus cum venisset in urbem multos hæreticos* (Ebionitas, Cerinthianos) *convertit in Ecclesiam Dei, unam*

nam hanc solam veritatem annuncians ab Apostolis percepisse, quam & Ecclesiæ tradidit. Memorat, porrò, quomodo *Polycarpus Marcioni aliquando occurenti &, cum non salutaret, dicenti sibi: Cognosce nos! responderit: Cognosco te primogenitum Satanæ. Neq; aliam mentem Irenæi fuisse ostendit ipse: Tantum, inquit, Apostoli, & horum Discipuli habuerunt timorem, ut neq; verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem, idq; velut rectè faciendum & boni Catholici officium*, probat illo Paulino axiomate: *Hæreticum hominem post unam vel alteram correptionem devita, sciens, quod perversus sit talis, & à se ipso damnatus.* Tit. III, 10. Neq; aliter Augustinus, qui agnovit quidem *officium charitatis non solùm nostris: sed & omnibus nos debere*, & ipsum hæreticum, *quantumlibet odiosâ superbiâ tumidum & pervicaciâ malæ contentionis insanum*, sicut, ne *parvulos & infirmos fallat, vitandum: ita quibuscunq; modis fieri possit, etiam per privatas Epistolas, qualibus uti quoq; ad Paganos licet, corrigendum*, nequaquam tamen per κοινωνικὰς s. *communicatorias* literas, velut quas *hæretici, pertinaci animositate sententiam falsam atq; perversam defendentes non accipiunt*, cum illo agendum. Vid. Augustinus Epist. 162.

§. 46. Supereſt illud unum nec ignobile quæsitum utrum Græcè, an Latinè scripserit Irenæus? Errat Rivetus, pro Græcè scripto, urgens quod alleget Justinus? At Irenæum posteriorem non allegare potuit Justinus: sed Justinum Irenæus. Ratio autem dubitandi, quod & (1) *Lugdunensis in Galliâ Presbyter ac deinde Episcopus fuerit*, (2) nec inveniantur ejus libri, nisi Latinè conscripti. Atq; hæc, & fortè alia moverunt sine dubio Erasmum in præfatione generali, ut judicium novissimè sic publicaret: *In primâ*, inquit, *præfatione dubitabamus, utrum Græcè scripsisset Irenæus, an Latinè? nec adhuc certùm aliquid habemus.*

§. 47. Probant Irenæum non gente solùm: sed & *scriptione Græcum* 1. Stylus in Latino ubiq; Hellenismum redolens. 2. ingens distantia vocum & sententiarum latinarum, in illis quæ e. c. habentur in Eusebianis, & in præsenti Latino opere 3. fragmenta & transsum-

sumta benè multa ex Irenæo extantia apud Epiphanium & Eusebium, scriptores Græcos, & quidem sic, ut non illi agnoverint se *Metaphrastas:* sed veros descriptores. Addatur testimonium Photii qui Græcè extantes legit, & in Biblioth. notavit Probat 4. frequentia Græcanicarum citationum. Frequentius sc. à Græcis scriptoribus citatur, rariùs à Latinis. Probat 5 inscriptio Græca, quam Eulebius l. 5. c. 6. hist. Hieron. in c. 35. Isaiæ, Photius in Bibl. expressêrunt his verbis: ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως i. e. *reprehensionis falsò nominatæ sententiæ libri quinq;* conf. titulus l. 4. Quin agnovit Erasmus rationis hujus vim: *adjuvant,* inquit, *opinionem tituli librorum Græci,* qui sanè probant Autorem Græcè scripsisse (quicunq; tandem interpres ille fuerit, cui hanc inconditam & corruptam non semel latinam versionem amissâ nativâ editione debemus)

§. 48. Probat 6. testimonium Hieronymi, qui libro 11. in Ezech. explanans c. 36. Ezechielis, aperte Irenæum inter *Græcos* numerat. Dubium quidem movit Erasmus, utrum *natione, an scriptione* Græcum appellaverit Hieronymus? Sed nullus illi dubio locus. Clarissimè enim ibi scriptores Latinos distinctos distinguit à Græcis, & illis distincte citatis & copulatis, subjicit Græcos, ac inter hos ponit Irenæum.

§. 49. Quin Hier. lib. de Script Eccles. in Tertull. dicit: *Tertullianum esse primum Latinorum scriptorum post Apollonium & Victorem.* Atq; si Irenæus Latinè scripsisset, ipsi Tertulliano anteponendus fuisset: & inter Latinos collocandus. Subscribit usq; adeò Rivetus crit. sacro, ut hodie nullum superesse putet, qui in dubium id vocet. Chamier autem tom. 2. panstratiæ l. 13 c. 22. § 18. & 22. *multi emturum se scribit si Græcè daretur:* quale exemplum in Venetâ olim visum, &, cum ibi dispareret, in Vaticanâ Bibliotheca apparuisse fertur: cum illa Latina editio utut antiqua, tamen sic satis sit incondita, quâ tamè magis etiam corrupit Fevardentius, unde Juniores qui in opera Irenæi incidunt, monitos vult Rivetus Crit. sacro l. 2. c. 6. ut *caveant ab illis editionibus Irenæi, quas impudentissimus ille Monachus Fevardentius, homo projectæ audaciæ & nullius fidei, fœdè in multis corrupit, & annotationibus impiis ac mendacibus conspurcavit.*

SECULI SECUNDI SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM.

Classis II.

I. MELITO Sardensis Episcopus.

§. 1.

QVæ de Melitone notata Hieronymo, l. de Viris illustribus, seqventia sunt: Melito, inqvit, *Asianus, Sardensis Episcopus, librum Imperatori M. Antonino Vero, qui Frontonis Oratoris discipulus fuit, pro Christiano dogmate dedit. Scripsit quoque & alia e. c. de Pascha libros duos, de vitâ Prophetarum, de Ecclesiâ, de die Dominicâ, de sensibus, de fide, nec minùs de plasmate, de animâ & corpore, de baptismate, de veritate, de generatione Christi, de Prophetiâ, de Philoxeniâ, de Diabolo, de Apocalypsi Johannis,* καὶ περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ *s. de Deo incarnato.* (de singulis sc. his argumentis) *librum unum, & alium librum, qui clavis inscribitur, & præter hos, libros sex* ἐκλογῶν. *Hujus*, pergit Hieronymus, *elegans & declamatorium ingenium laudans* (*quod Sophronius*, interpres reddidit: τοῦτον τὴν εὐφυΐαν ἐπαινῶν) *Tertullianus in septem libris, quos pro Montano scripsit adversus Ecclesiam, dicit, eum à plerisq; nostrorum Prophetam putari.* Recensuerat ante Hieronymum, eodem ferè modo, scriptorum Melitonis indiculũ Eusebius l. 4. histor. Eccles. c. 25. (juxta Græcos κζ) & inter genuina Melitonis, primo loco nominarat Apologeticum illum insignem, qvem *pro fidei Christianæ defensione Romanorum Imperatori dicaverit*, distinctum ab illo, qvem eodem ferè tempore eidem Imperatori obtulerit *Apollinarius Hierapolitanæ Ecclesiæ Episcopus*,

§. 2. Occasionem Apologetico scribendo, ipsis Melitonis verbis, Eusebius describit: *Quod nunquam antea accidit, totum genus piorum hominum, qui se divino cultui penitus addixerunt, persecutione affligitur, & novis edictis per universam Asiam promulgatis exagitatur.* Memorat idem, qvæ pro avocando Imperatore, ne tam crudelibus edictis subscriberet, neve tam aperto latrocinio Christianos spoliari permitteret, Melito in illo sermone apologetico peroraverit; qvorum summa: *Cum divina, quam Christiani excolunt, religio, antea inter barbaros insigniter viguerit, & non solùm ipsa, in suis, sub Augusti regno, primordiis floruerit:* sed &, *inde ab Augusti temporibus, imperio Romano felici præsidio, & amplificatis splendidè pomœriis, incremento quoque mirificè fuerit, quin Neronis & Domitiani sævitiam, usque adeo alij Imperatores damnaverint,* ut non solùm rigorē illum, omnemq; *Christianæ religionis professorum persecutionem,* per edicta contraria sustulerint (cujus exempla propiora Melito allegaverat, *Parentem Antonini veri,* qvi *ad Græcos omnes nominatim mandata per literas delegaverit, ne quid novarum rerū contra Christianos unquam edere molirentur, & Avum Adrianum, qui ad multos proconsules, & Præfectos Asiæ literas in gratiam Christianorum scripserit*) sed & *Majores quidam Imperatoris, præter aliarum religionum ritus, illā magnopere coluerint, Imperatoris esse, Augusti potiùs, à quo paternum genus ducat, Adriani avi, parentis & aliorum gloriosorum majorum, quàm Neronis & Domitiani sententiam sequi, & cùm, illis multò etiam humaniorem & divinæ sapientiæ studio magis deditam mentem teneat, religionem quoque Christianam cum Imperio Augusti inceptam, pariter enutritam, auctamq; fovere, neque malitiosis contra Christianos criminationibus aures præbere, ac decreta crudelia in Christianos suâ autoritate sancire.* Optandum, cùm ceteraMelitonis illa, Eusebio, & ex hujus scriniis, Hieronymo recensita, neqve propioribus Melitoni scriptoribus ignota (qvo-

modo

modo alii alia, Clemens autem Alexandrinus, libros de Paschate *occasione controversiæ apud Laodicenos, in ipsis statim primordiis illius solemnitatis ortæ*, à Melitone scriptos allegavit, ex Melitonis opere *arreptam sibi ansam de Paschate scribendi, librumq; de eodem argumento contexendi*, professus) tum illā inprimis adeo celebratam, qvam pro fide Christianâ scripsit, & Imperatori Antonino, dedicavit, Apologiam, insigne sine dubio, prout λείψανα, qvæ sola supersunt, testantur, & dignum posteritate scriptum meliore fide servata, ad nostra usq; pervenisse tempora: qvæ si extarent, in *primâ* fortè *Classe* Scriptor adeo vetustus, & Catholicus, collocari mereretur, prout nunc, dum sive soli supersunt tituli, & paucula qvædam aliis Autoribus descripta fragmenta, in hâc Classe *secundâ*, illius servanda qvædam erat memoria: ille autem, qvi sub tanto nomine circumfertur, *liber de transitu B. Virginis*, qvia manifestè Pseudepigraphus, & apocryphus est, nonnisi in *tertiâ* vel ultimâ classe collocandus.

§. 3. Ex proœmio librorum, qvos Onesimo inscriptos *Eclogas* appellat (qvod in opere illo breves & selectæ à Melitone, de Servatore & universâ fide Christianâ ex scripturis depromtæ sententiæ collectæ fuerint) celebratur, qvem in illo Melito describserit, τῶν ὁμολογημένων τῆς παλαιᾶς διαθήκης γεγραφῶν κατάλογον *s. genuinorum omniumq; consensu comprobatorum V. T. librorum Indiculus*, qvem solicitanti *Onesimo, fortissimo* (prout illum appellavit) *pro coronâ cœlesti, Athletæ Jesu Christi*, talem descripsit: *In orientem*, inqvit, *iter suscipiens, & eousq; loci proficiscens, ubi hæc & prædicata & gesta fuerunt, cum accuratè à quibusdam de libris V. T. didicissem, illorum nomina hic subscripta ad te misi, quæ sunt hæc: Moysis quinque* (G. E. L. N. D.) *Jesus Nave, Judices, Ruth, Regnorum quatuor, Paralipomenon duo, Psalmi Davidis, Salomonis paræmiæ s. proverbia, Sapientia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Job, Prophetarum libri, Isaiæ, Jeremiæ, &* (τῶν δώδεκα ἐν μονοβίβλῳ) *XII. Prophetarum in uno libro contenta scripta, Daniel, Ezechiel*

zechiel, Esras. Atqve ex his Veteris Testamenti scriptis, *excerptas à se breves selectas sententias, in sex libros esse dispertitas*, qvæ nomen habent eclogarum, fatetur Melito.

§. 4. Favet sanè Catalogus ille, vel Indiculus Canonicorum s. τῶν ὁμολογουμένων à Melitone vetusto scriptore consignatus nostro magis, qvàm Pontificiorum Canonico Tridentino. conf. de hoc Syn. Trid. Sess. 4. decreto *de Canonicis Scripturis*, & Bell. l. 1. c. 4. de verbo Dei. Licet enim plenè non satisfecerit, tum *librum Esther* omittendo, tum *Sapientiæ librum* Canonicis annumerando (nisi fortè Proverbiorum Salomonis liber, qvia plenam describit Sapientiæ scholam, ipsi Melitoni qvoqve intellectus *Sapientiæ* nomine, pro qvo facit Jacobi Bongarsii exemplar & in hoc lectio: Σολομῶνος παροιμίαι, ἡ καὶ σοφία i. e. *Salomonis Proverbia, quæ etiam dicuntur*, vel dici merentur, *sapientia*) Non agnovit tamen, sive authoritatem illam unius infallibilis de Canone V. T. reclamante Canone illius Ecclesiæ, cui credita erant τὰ λογία τοῦ Θεοῦ, Rom. 3. 2. audacter pronunciantis, sive illos ipsos libros, de qvibus nos inter & Pontificios princeps controversia est, esse Canonicos.

§. 5. Excipere fortè licebat, Fallaciam committi à dicto secundum qvid. Melitonem in illo catalogo describere voluisse non omnes Canonicos: sed saltim ὁμολογουμένως, s. omnium confessione approbatos, *Canonicos*, neqve adeo ab assertione illorum ὁμολογουμένων ad negationem aliorum *Canonicorum* valere conseqventiam. Non valere: Libri illi recensiti, Melitonis judicio solùm fuerunt V. T. libri ὁμολογούμενοι. E. soli Canonici. Ceterùm licet in N. T. libris, ratione, non tam cognoscibilitatis, qvàm actualis & indubitatæ cognitionis, salvâ singulorum autoritate propriè & strictè Canonicâ, distinctio concedi possit, in ὁμολογουμένους & ἀντιλεγομένους, s. *libros sive ab omnibus Doctoribus & Ecclesiis, sine contradictione*, sive *à quibusdam saltem, non sine aliorum multorum & magnorum Virorum vel Ecclesiarum*

quoque

quoque contradictione approbatos (utcunq; Eusebius & alii scriptores primarii, qvos ὁμολογουμένους negant, & inter ἀντιλεγομένους collocant, illos ἐν νόθοις numerãt, ac pro adulterinis habent, prout de Epistolâ Jacobi Eusebius: ἰστέον ὡς νοθεύεται, s. *sciendum quod adulterina sit*: nec obstat, qvod mox addat, illam, ἐν πλείσταις δεδημοσιευμένην ἐκκλησίαις s. *in plurimis ecclesiis receptam* l. 2. hist. Eccles. c. 23. cum & *librum Pastoris* vel *Hermæ*, prout *Epistolas Jacobi & Judæ*, licet excludat ὁμολογουμένοις s. omnium consensu approbatis, referat tamen inter δεδημοσιευμένους s. *in ecclesiis approbatos*: τὸ τοῦ ποιμένος βιβλίον ἰστέον ὅτι οὐκ ἐν ὁμολογουμένοις, ἀναγκαιότατον δὲ οἷς μάλιστα δεῖ στοιχειώσεως εἰσαγωγικῆς, καὶ ἐν ἐκκλησίαις δεδημοσιευμένον i. e. *De libro Pastoris sciendum, quod licet non sit ex Catholicè s. omnium consensu approbatis, necessarius tamen judicatus fuerit, iis, qui primis fidei elementis sunt imbuendi, & in Ecclesiâ publicè receptus s. prælectus* Euseb. l. 3. hist. Eccles. c. 3.) in Veteri tamen Testamento, revera Canonicorum, distinctionem in ὁμολογουμένους & ἀντιλεγομένους dare non licet, cum omnes verè & qvoad seipsos Canonici, sint qvoqve ὁμολογούμενοι, & omnes ὁμολογούμενοι s. Universitatis judicio approbati, sint qvoqve Canonici, neqve dentur sive Ecclesiæ, sive multis & magnis Autoribus Catholicis ἀντιλεγόμενοι, qvi tamen reverâ sint Canonici.

§. 6. Qvod si verò ex judicio sive propioris (e. c. Tridentinæ & Florentinæ) sive vetustioris Provincialis (e. c. Carthaginensis III.) Synodologiæ, vel particularis Patrologiæ, pronunciandum fuerit, de V. T. Canonico, prout solitum scriptoribus Pontificiis, jam sub hoc titulo Codicem qvidem (non ipsum fontanum Canonem) Biblicum, s. librorum sacrorum, veteris federis, tempore, scriptorum, distinguere licebit in classem ὁμολογουμένων, & ἀντιλεγομένων, seu *universaliter approbatorum*, & luculentam à magnis autoribus Catholicis *contradictionem expertorum* (cum & hujus Codicis magna pars sint, omnes reverâ Canonici sanè ὁμολογούμενοι, & illius

Codicis, ceteri, non Ecclesiæ solùm & Synagogæ Judaicæ Canonicorum V. T. depositariæ: sed & ipsi Ecclesiæ Apostolicæ ac primitivæ, qvin vel ipsorum seqventibus seculis Doctorum Catholicorum benè multis, justum fuerint signum contradictionis) ceterùm sic abusus fuerit vocis *Canonici*, & commissa vel petitio principii, vel ignoratio Elenchi.

§. 7. Nec enim de Canonico qværitur, tam in praxi alicubi Augustini, qvàm Hieronymi, non in ampliatione vel oppositione illâ, qvâ Canonicum opponitur planè non sacro, nullâ ratione *divino, inutili, merè fabuloso, notoriè falso*, neqvaqvam *Ecclesiastico, s. in Ecclesiâ* nullo modo *vel ad ædificationem plebis legendo, vel ad aliquam confirmationem* qvoq;, sive *allegando*, sive ab antiqvis etiam Patribus aliqvando allegato, qvâ ratione non saltim illi ἀναλεγόμενοι in Codice librorum V. T. Græco vel aliâ qvâcunq; interpretatione, qvos in classe secundâ ponit Bellarminus, l. alleg. sed & illi, qvos idem in classe collocat tertiâ e. c. 3. & 4. Esræ, & Hermes s. Pastor & multi alii *Canonici* dici poterant, cum usq; adeo illi alicubi appareant sacri, ut vel Spiritum Prophetiæ, qvi est *testimonium de JESU*, ostendere, ipsiq; adeo, qvi Prophetarum character est, MESSIÆ μαρτυρεῖν Apoc. 19. 10. Act. 10. 43. videri velint, qvomodo lib. 4. Esræ c. 7. 28. 29. repræsentatur Deus Pater Orator: Mein Sohn JEsus soll offenbahret werden / mit denen die bey ihm sind / und nach den Jahren soll mein Sohn Christus sterben / qvæ & alia, illud inprimis Esræ somnium, *de grandi aquilâ figurante fata Monarchiæ Romanæ* lib. 4. Esræ c. 11. & 12. Theod. Bibliandrum moverunt, ut inter libros Propheticos V. T. referret librum, ceteroqvi ὁμολογούμενως Apocryphum: qvin non solùm revera Canonici & ὁμολογούμενοι: sed & ἀναλεγόμενοι, & non nisi æqvivocè, vel populariter appellati Canonici, imò illi ipsi Classis tertiæ apocryphi, ad confirmationem aliqvando dogmatum fuerint

adhibiti

adhibiti, qvomodo in Concilio Niceno 1. præter ὁμολογουμένως Canonicos, non solùm ex libro Baruch & Sapientiæ: sed & libro ἀναλήψεως Mosis testimonia prò divinitate Jesu Chr sti sint citata, & pro resurrectione mortuorum Ambrosius l. de bono mortis c. 10. allegavit apocryphum 4. Esræ, c. 7. 32. 33. qvin ipsum librum Pastoris Eusebius l. 3. hist. Eccles. c. 3. non solùm διδημοσιευμένον s. *in Ecclesiis palam lectum* agnovit: sed & τῶν παλαιοπάτων συγγραφέων κεχρημένους τινας αὐτῷ s. à *veteribus quibusdam scriptoribus testimonij loco citatũ*. Scilicet licet dogmata fidei, αὐθεντικῶς, ἀξιοπίστως & ἀναντρέπτως non probentur, nisi ex veris Canonicis, idq; valeat non solùm de jure: sed qvoqve de facto, prout tamẽ Prophetæ & Apostoli citarunt aliqvando libros non Canonicos, & ne sacros qvidem: ita Patres putarunt sibi qvoqve ex Apocryphis testimonium alicubi petere licere, cum & licuerit contra hæreticos e. c. Pelagianos, antiqviorum Patrũ & scriptorum Ecclesiasticorum autoritatem urgere, ut adeo à scripto utili, sacro, certa qvadam ratione divino, Patribus citato, Prophetiâ & vel testimonio JESU fulgido, qvin Ecclesiastico s. in Ecclesiâ palam lecto, & ad confirmationem qvoqve aliqvando adhibito, ad Canonicum propriè, & exqvisitè dictum, non V. C.

§. 8. Neqve sive alii Patres, Græci inprimis, ubi Catalogos ὁμολογουμένων (V. T.) librorum pertexunt, nisi γνησίως, & κεκανονισμένους s. illos, *quos solos genuinos & Canonicos* æstimarunt, intellexerunt, qvomodo Cyrill. Hieros. Catech. 4. illum, cum V. T. Canonicos nonnisi XXII. libros (æqvè ac Greg. Naz. l. de γνησ. Script. libris tom. 2. p. 98.) *& Novi quoque Testamenti* Canonica recensuisset, addidit: *Alios libros, quamvis in Ecclesiâ legantur, in altero loco repone, qui autem in Ecclesiâ non leguntur, illos neque tu lege!* In Synopsi autem Biblicâ, qvæ S. Athanasio communiter adscribitur, & reperitur in hujus operibus tom. 2. edit. Commel. à p. 61. τῆς παλαιᾶς διαθήκης κανονιζόμενα βιβλία ἔστιν

ωσπερ δύο ἰσάριθμα τοῖς γράμμασι numerantur, qvibus contradistinguuntur βιβλία ὰ κανονιζόμενα μεν. ἀλλ' ἀναγινωσκόμενα μόνον τοῖς κατηχουμένοις ſ. *libri, qui licet non ſint Canonici* (prout illi XXII. V.T.) *tamen ſint Eccleſiaſtici ſ. Catechumenis* in Eccleſiâ lecti, & tales libros ὁμολογουμένως ſolos Canonicos, agnoſcunt τῆς πίστεως ἡμῶν ἀπαρχήν ια, ἀγκύρας καὶ ἑρείσματα ſ. *fidei noſtræ primitias, anchoras & firmamenta.*

§. 9. Neqve Melito Oneſimum Conſultorem ſolâ recenſitione qvorundam V. T. Canonicorum ὁμολογουμένων, ſic ut longè plurimos, ſine omni memoriâ, vel ipſius Oneſimi de ceteris illis, qvo loco habendi eſſent, inſtructione, ſilentio transmitteret, ambiguum, ſuſpenſumq; dimittere voluit: ſed prout Oneſimus ſcire deſideraverat, τὴν τῶν παλαιῶν βιβλίων ἀκρίβειαν, ſ. *librorum V. T. accuratam rationem, numerum & ordinationem*: ita etiam, prout habet præfatio Catalogi, Melito ἀκριβῶς μαθὼν τὰ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία ſ. *prout ipſe in oriente accuratè didicerat, quinam eſſent V. T. libri*, ita horum Indiculum Oneſimo deſignare ac communicare, neqve adeo, qvicqvam, qvod Veteris Inſtrumenti Canonicum æſtimaverit, omittere voluit, qvi & de ſolis ὁμολογουμένοις, à ſe conſignatis, aliisq; Canonicis qvidem: ſed ἀντιλεγομένοις extantibus, planè tacet: illorum enim mentio, ibi debetur Euſebio Hiſtorico, non Melitoni.

§. 10. Non agnovit adeo Melito (1) librum Baruch Canonicum ſ. in ſublimi & cœleſti veritatis infallibilis culmine collocatum. Scilicet non ſolùm interno: ſed & externo formali Canonici Vet. Teſt. charactere, Eccleſiæ & linguæ Propheticæ, ac propoſitione in illo, qvem Dominus JESUS σκηνώσας ἐν ἡμῖν approbavit, genuino Judæorum Canone, deſtituitur, cumq; Canonico Jeremiæ & Regum hiſtoriæ commiſſus contradictoriis plurimis implicatur. Scripſit ſanè Baruch, & ſcripſit qvidem ſermone Hebræo, velut Jeremiæ Diſcipulus & Notarius

Notarius Canonica: sed, prout ipse coram Principibus confessus: *Jeremias ex ore suo pronunciabat mihi omnia verba ista, & ego atramento scribebam ista in libro* conf. Jerem. c. 36. 4. 10. 14. 17. 18. 21. 23. 24. 27. 28. 32. c. 45. 1. Illa ergo, Jeremia mandante & ex hujus ore à Barucho descripta Canonica, non Baruchi fuerint: sed Jeremiæ, nec in illo, qvi Baruchi nomine venit, libello: sed in genuinis Jeremiæ Canonicis extantia. Qvod si ex tam celebratâ Baruchi in Canonicis Jeremiæ memoriâ, & accommodatâ huic incarcerato vicariâ scriptoris operâ factum, ut qvibusdam Patribus (conf. Catech. Cyrill. 4. & Conc. Laod. c. 59.) in numeris Canonicis copulatus cum Jeremiâ Barûch fuerit, vel libellus ille appendix Jeremiæ habitus, velut pari modo à Jeremiâ Barucho dictatus, & inde à qvibusdam, sub Jeremiæ nomine allegatus, excusandum id magis, qvàm probandum, cum libellus nunqvam fuerit pars veri Jeremiæ, ut nec adeo valeat illatio Bellarmini: *Si Baruch repudiandus. E. & Jeremias.* Patrologia particularis (universalis enim Symphonia Patrum de Baruch Canonico non datur) allegatio Baruch, velut scripturæ sacræ imo & divinæ, Ecclesiastica lectio (licet optandum, ex nobili Laodiceni Consilii Canone 59. *Non oportet privatos in Ecclesiâ legere Psalmos aut libros non Canonicos: sed solos V. & N. T. Canonicos*, semper actum in Ecclesiâ) non probat Canonicum exqvisitè propriè & strictè sic dictum. Probare autem (prout Bell. l. 1. de V. D. c. 8.) Baruch reverà Canonicum, ex *autoritate Ecclesiæ*, & hanc iterum, *ex decreto Tridentino*, est circulo incedere & bis principium petere. Qvantò luculentior ipse pro nostro Canonico Confessor, qvando l. alleg. scripsit: *Liber Baruch non invenitur in Hebræis Codicibus, nec Concilia antiqua, nec Pontifices, nec Patres, qui Catalogum librorum Propheticorum texunt, hujus Prophetæ disertis verbis meminerunt*, qvod & Joh. Driedonem Pontificium scriptorem *moverit, ut negaverit hunc librum esse Canonicum*, & paulò post: *Concilia antiqua & Patres non po-*

fuerunt Baruch nominatim in Canone. At si nunqvam fuerit in Hebræorum Canone, qvomodo potuit esse Canonicus sub Veteri federe?

§. 11. Non agnovit Melito Canonicos, Tobiæ, Judith, Ecclesiasticum, & Maccabæorum libros, prout nec admisit illos vetustum *Concilium Laodicenum*, qvod intravit in *Codicem Canonum universæ* cum Orientis, tum occidentis *Ecclesiæ*, ut frustra opposuerit Bellarminus *Carthaginense 3. & Tridentinum* Nec admittit Synopsis Athanasii, nec cat. Cyrill. nec Gr. Naz. Admittimus iterum confessionem pro nostro Canonico Bellarminianam l. 1. de V. D. c. 10. *Hi libri simul omnes rejiciuntur ab Hebræis:* idem ibid. Hieronymus refert hos libros non *ad Hagiographos intra arcam: sed extra arcam, ad distinctionem Canonicorum & sacrorum: nec unquam CANONICI dicuntur ab Hieronymo illi libri, de quibus possit dubitari:* & in fine: *Admitto Hieronymum in eâ fuisse opinione, illos libros non esse Canonicos, nec, tantùm loquitur de Canone Judæorum, ita ut dicat, non esse Canonicos apud Judæos, quia cum istis libris V. T. simul numerat etiam librum Pastoris, qui est Novi Testamenti, & omnes simul dicit, non esse in Canone:* allegat qvoq; ex Hier. Prologo Proverbiorū: *Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Maccabæorum libros, legit quidem Ecclesia (ad ædificationem plebis) sed eos inter scriptores Canonicos non recipit, nec ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam legit,* qvo Hieronymi testimonio motus Card. Cajetanus, Bell. judicio. *Catholicus alioqui & pius Doctor,* negavit qvoqve illos libros esse Canonicos. Qvod si ergo, prout ibidem Bellarminus, *ex testimoniis primæ Ecclesiæ, & ex communi sensu ac quasi gustu populi Christiani, Ecclesia debet de libris Canonicis statuere, & declarare, quis liber habendus sit Canonicus?* viderint ipsi Tridentini, qvo jure illos ipsos, qvos *Ecclesia vetus inter scriptores Canonicos non recepit,* contra *sensum gustumq; adeo Veteris populi Christiani,* declarare vel definire potuerint Canonicos? cum

& de

& de Augustino, qvem unum ferè ex Patribus pro libris illis habendis ut Canonicis allegat, fateatur: *B. Augustinũ fuisse quidẽ certissimum omnes libros Canonicos esse infallibilis veritatis: sed non fuisse æquè certũ de omnibus libris, quos commemoraverat, an essent Canonici?* Item: *B. Augustinum id observari voluisse, in libris qui dicuntur Canonici, ut ij, qui ab omnibus recipiuntur, præponantur iis qui ab omnibus nõ recipiuntur: quia sc. de prioribus major fuerit certitudo, quàm de posterioribus*, qvo judicio stante consequens foret, *non omnes judicio Augustini, Canonicos, fuisse æquè irrefragibilis veritatis*, atqve ita neqvaqvam *vanissima fuerit illa distinctio Chemnitij*, pro diversâ suppositione *Canonici*.

§. 12. Ceterùm, Melitonem nobis opponunt Pontificii, pro probando *libro Sapientiæ* Canonico. Et sanè, si superiores illi, Melitonis judicio, non fuerunt Canonici, qvia in catalogo omittuntur, ejusdem judicio *Sapientiæ liber* fuerit *Canonicus*, qvia in *Canonicorum* catalogo ponitur, & contra: unde Bell. l. 1. de V. D. c. 13. probaturus: *librum Sapientiæ testimonium habere ab antiquis Patribus:* MELITO, inqvit, *Asianus in Epist. ad Onesimum in Catalogo sanctarum scripturarum SAPIENTIAM ponit.* Eqvidem, si lectio Bongarsii jam supra notata sibi constaret, expedita Melitonis causa foret, & nihil in illo de *Sapientiæ* distincto à *Proverbiis Salomonis* libro. Nunc, cum numerosiorum exemplarium lectio distinguat Salomonis παροιμίας & σοφίαν, prout hanc & ἐκκλησιαστὴν, & porrò hunc & ἄσματα ἀσμάτων, nolimus arcem causæ in illo collocare.

§. 13. Melitonem in hoc *uno libro* excusamus, non probamus, qvi nec Salomonis genuinum, vel Canonicum magis agnoscimus, qvàm Ecclesiasticum, qvem respectu ipsarum *sententiarum*, Salomoni, respectu *collectionis illarum*, Jesu Siracidi æqvè Bellarminus l. 1. de V. D. c. 14. ac hunc *Sapientiæ* librum, qvoad *sententias* Salomoni, qvoad *collectionem*, Philoni vindicans, utrumq; *Canonicum* s. infallibilis veritatis librum reputat, conf.

tat conf. c. 13. 14. Non ita Canonicorum in antiqvitate Vindex & verè διὰ τὴν ἕξιν αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ ostendens, Hieronymus, in prologo Galeato & Proverbiorum, qvi habuit pro apocrypho, confessus *stylum redolere Græcam eloquentiam, & apud Hebræos nusquam esse.* Agnovit judicium sanctius Bellarminus l. 2. de Verbo Dei c. 9. ad prop. 3. *B. Hieronymus* (verba sunt Bellarm.) *librum Sapientiæ, Ecclesiastici & Maccabæorum arbitratus est Apocryphos, proinde neglexit horum interpretationem, nec ullæ extant ejus in hos libros præfationes.*

§. 14. Implicat sanè, Canonicum V. T. scriptum, inde cum ceteris illorum temporum, in Canonem populi Christiani transiturum, in Canone Ecclesiæ, cui Deus eloqvia crediderat, nunqvam fuisse, nec illius Canonis sermone scriptum esse. Prosopopoeia illa Salomonis in c. 7. 8. 9. non probat autorem Salomonē, qvi si Autor fuisset, Canonicū hunc, Hebraicè, prout ceteros Canonicos scripsisset, & Ecclesia Judæorum non minùs hunc, qvàm *Proverbia & Canticum Canticorum*, in Canonem recepisset.

§. 15. Ceteroqvi, etiamsi ex abundanti detur sententiarum Autor Salomo, nihil tamen inde pro Canonico, cum Salomo scripserit longè plurima non Canonica, neqve vel illi ipsi libri *Mislim & Schir hasschirim* propterea sint Canonici, qvia hos scripsit Salomo, ut taceamus, vel ex illâ *prosopopoeiâ*, librum hunc *Pseudepigraphum* agnitum jam olim *Hieronymo*, & à doctissimis, ipso teste, ad scriptum illi *Philoni*, de cujus admirabili ingenio videatur Sixtus Senens. Bibl. S. l. 4. sub nomine *Philonis*. At hic post Christum sub Cajo Caligulâ vixit, & licet in laudem Christianorum, Alexandrinæ inprimis Ecclesiæ, sub Episcopo Marco, multa scripserit, professione tamen Christianus haut fuit: sed Judæus, neqve adeò librum Canonicum sub V. T. scribere potuit. Alter autem Philo, illo post Christum, longè antiqvior, tam fingitur à Bellarmino, qvàm talis ante Christum Philo, sententiarum Salomonis, dictante S. Spiritu, collectorsine Autore

ne Autore ſtatuitur, & dum id ex Oratione illâ c. 9. *Tu elegiſti me Regem* &c. probatur, principium petitur.

§. 16. Mentio qvidem *Philonis ſenioris* apud Joſeph. l. 1. cont. Appionem p. 1051. ſed ut *Hiſtorici Gentilis*, magnâ librorum ſacrorum ἀγνωσίᾳ laborantis, qvi adeó Canonici V. T. voluminis Autor eſſe non potuit. Concilium ſanè Laodicenũ, univerſæ Eccleſiæ Codice longè ante mille annos dignatum, & in Trullo univerſalis concilii autoritate confirmatum, Salomonis Canonicos nonniſi tres agnoſcit, Sapientiæ librum, ipsâ præteritione Canonicis excludit. Magnificè Bellarminus: *Liber Sapientiæ*, inqvit, *teſtimonium habet ab antiquis Conciliis & Patribus.* Ceterùm, ubi probandum Conciliorum antiqvorum teſtimonium, non allegatur, niſi *Sardicenſe & Toletanum II.*

§. 17. At Sardicenſe in Epiſtolâ Synodicâ, qvæ extat apud Theodoretum l. 2. Hiſt. c. 8. planè de *libro Sapientiæ Canonico* tacet, nec qvicqvam ponit niſi: φησὶν ἡ πάντων τεχνίτις ἐδίδαξέ με σοφία i. e. Dicitur: *Sapientia omnium artifex docuit* me, ut inde probet: λόγον *Conditorem univerſi*, qvæ qvidem verba extant in libro Sapientiæ c. 7. 21. ceterùm notatum jam ſupra, ab allegatione ad Canonicum exqviſitè & propriè ſic dictum, non V. C. Et commodè Sardicenſes, mox illi ex Sapientiæ libro, velut minùs ſatisfacturo, adiungunt potentius Stereoma ex Canonico Johannis c. 1. 2. *Omnia per* λόγον *facta ſunt.*

§. 18. Toletanum autẽ II. utut longè & autoritate & vetuſtate infrà Laodicenum, ſaltim librum illum nominat *ſacram ſcripturam.* A ſcripto autem *ſacro*, vel allegato ut *ſcripturâ ſacrâ*, ad Canonicum non V. C. Qvod ſcriptum in ſacro continetur codice, qvod in ſacro divinoq; verſatur argumento, qvod vehementer inſervire valet populo Dei informando, ſacrum dici poteſt, & tamen (niſi ſive generaliter vel populariter ſive analogicè vel æqvivocè ſumto vocabulo) poteſt non eſſe Canonicum. Nec qvicqvam ultra probant, Dionyſ. Cypr. Cyril-

lus, qvàm librum Sapientiæ posse dici *sacrum* & (qvia in argumento divino versatur) *divinam scripturam*.

§. 19. Augustinus autem maximus qvidem fuit commendator libri Sapientiæ; ceterùm ita, ut commendarit velut antiqvũ ἐκκλησιαζόμενον [*in Ecclesiâ publicè & reverenter auditum*, ac, omnibus, etiam *egregijs tractatoribus* [*Catholicis scriptoribus Ecclesiasticis* anteponendum, & agnitum velut *divinum testimonium*, unde nondum ad Canonicum strictè sic dictum valet illatio, præsertim cũ agnoscat Aug. allegato à se testimonio ex lib. Sap. oppositam exceptionem libri non Canonici, cui ipse saltim opponit, testimonium id propterea, repudiandum non fuisse, nec negandum *divinum*, ut frustra Chemnitio *incredibilis impudentiæ* dicam Bellarminus scripserit l. 1. de V. D. c. 13.

§. 20. Sanè dum agnoscit August. l. 1. de prædest. Sanct. sibi ex libro Sapientiæ c. 4. illud decantatum: *raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*, contra thesin: *nullum mortuorum judicatum iri secundùm ea quæ gesserit: sed secundùm ea, quæ gesturus fuerat, si tempore prolixiore vixisset*, urgenti, ab ipsis fratribus oppositam exceptionem *libri non Canonici*, fatetur non agnitum illis fratribus fuisse librum *irrefragabilis & infallibilis autoritatis*: neqve directè opponit Augustinus: *librum illum Sapientiæ esse Canonicum*: sed *non repudiandum, omnibus Ecclesiasticis Scriptoribus anteferendum*, idq; argumento à minori ad majus. Sc. qvem librum sibi antepositerunt etiam temporibus proximi Apostolorum, egregii tractatores, qviq; *tantâ numerositate annorum legi meruit in Ecclesiâ Christi*, is non debet *repudiari, vel injuriam pati*. Atqve librum Sapientiæ &c. In qvo argumento altum silentium de libro Sapientiæ vero & propriè Canonico. Qvod si alibi altiùs egressus, inter ipsos exqvisitè loqvendo Canonicos, librum Sapientiæ Augustinus collocaverit, condonandum illud qvidem Augustino, scribendo proficienti, qvi in illo ipso libro alicubi exclamat: *Nondum diligentiùs*

ligentiùs quæsiveram, nec adhuc inveneram vid. c. 3. qvomodo & cum lib. 2. de doctr. Christ. c. 8. autorem libri Sapientiæ defendisset Siracidem, lib. 2. retract. c. 4. retractavit, ingenuè confessus: Hoc, qvod sc. *libri Sapientiæ* idem auctor, qvi Ecclesiastici, *non ita constare*, sicut *à me dictum est, postea didici, & omnino probabilius comperi, Jesum filium Sirach, non esse ejus libri autorem.* Sed nec probantur allegationes ex hoc libro in Novo Testamento. A materiali enim convenientiâ qvadam pronunciati ad formalem allegationem, & ab allegatione Apostolicâ ad Canonicum non V. C.

§. 21. Melito ergo aut per Sapientiam Salomonis ipsum Proverbiorum librum intellexerit, vel in hoc libro illis ὁμολογουμένως Canonicis accensito erraverit, qvi & in catech. 4. Cyrilli & in Synopsi, qvæ communiter Athanasio adscribitur, ponitur inter ἀναγινωσκομένους μένον. ἀλλ' οὐ κεκανονισμένους s. *inter illos Ecclesiasticos, qui Catechumenis leguntur: at non inter Canonicos.* Ex tot multis Apocryphis, qvia nullus illo citiùs lectionis Ecclesiasticæ dignitatem obtinuit, imò *meruit in Ecclesiâ Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi, tam longâ annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis usque ad extremos Laicos fideles, cum veneratione quâdam divinæ autoritatis audiri*, qvemq; *sibi anteposuerunt etiam proximi temporibus Apostolorum egregij tractatores*, ut-ut *fratres, qui cum Augustino perniciem Pelagianæ hæreseos Catholicâ autoritate condemnabant, testimonium ex hoc libro tanquam non de libro Canonico adhibitum respuebant.* vid. August. l. 1. de prædest. sanctorum, qvid mirum, si unus ille à Melitone ipsi Catalogo Canonicorum (etsi præcisè Canonicum non meminit) est additus, cui inter illos ἀναγινωσκομένους, inter ipsas inprimis tunc Martyrum palmas, palma & principatus Canonico proximus semper est assignatus? Neqve tamen, si exorbitatum fuerit in hoc admittendo, erratum qvoqve in ceteros illos omittendo: sed invertendũ potiùs argumentum, & qvia hic ab

illis

illis propriè Canonicis distinguendus vel separandus, multò magis ceteri inferiores illi, judicio Melitonis, Apocryphi & rectè omissi, neqvaqvam vero postliminii qvodam jure restituendi fuerint.

§. 22. Verùm non in *Sapientiæ saltem libro* Canonicis inserto: sed & in *Esther libro* planè præterito, erratum à Melitone fuerit, unde qverela Bellarmini l. 1. de V. D. c. 7. *Librum Esther*, inqvit, tres *gravissimi scriptores extra Canonem posuerunt, Melito Asianus, Athanasius in Synopsi, Gregorius in carmine de genuin. Script.* qvin Bellarminus, abusus illo trium Patrum judicio, insigni Sophisticâ, non solùm additamentum illud 7. posteriorum capitum: sed & totum librum Esther Hebræum, posuit velut κεινόμενον, imò propter illud supplementum, totum verum librum Esther posuit in Canonicorum classe secundâ, atqve adeo dum illud Apocryphum supplementum attollit, ipsum verum & authenticum librum Esther Hebræũ, qvi X. capitibus absolvitur, deprimit. Apparet, qvantum ipsi vero Canonico deminutionis periculum ab illis appositionibus, nec aliunde, qvod pauci qvidam Patres in Catalogo Canonicorum librum Esther omiserint, qvàm ex illis laciniis Apocryphis, vero Esther, in Cod. Græco & Latino, assutis, qvæ dũ indigna culmine Canonico rectè reputarunt, totum omittere, qvàm cũ spuriis illis assumentis in Canonicorũ Catalogo locum illi numerumq; dare maluerunt, etsi in *Synopsi Athanasii* (utrũ tanti Autoris sit, nunc non disqvirimus) Esther sic ponitur inter ἀναγινωσκομένας μεν. ἀλλ' ὐ κεκανονισμένας *s. in Ecclesiâ legendos*: *sed non Canonicos*, ut tamen mox addatur: *Ex veteribus quosdam librum Esther pro genuino Canonico reputasse*, & V. T. *librum XXII. illis librum Esther fuisse*: Scilicet ante illud assumentum apocryphum, non cuiq; statim separabile, in Codicibus communiter appositum, habitus est liber Esther (qvalis reverà semper fuit) Canonicus: ex qvo autem illa appendix in translationibus accrevit, dubitari cœptum, & propter illam, ipsi vero Canonico subnatum Canonici periculũ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910760/phys_0098
DFG

§. 23. Nihil tamen ex hâc libri Esther in Melitonis indiculo præteritione, lucratur Papismus, qvin vel sic unà cum supplemento suo Apocrypho hîc in ruborem & verecundiam datur. Verus enim liber Esther, qvoad priora X. Capita est inter ὁμολογουμένως *Canonicos*, tum Pontificiis, tum nobis: ex qvo adeo omisso nullum apparet nobis à Melitone peculiare præjudicatum: at supplementum 7. capitum, Pontificiorum judicio Canonicum, nostro Apocryphum, est ipsum κεχνόμενον, qvo discernimur. Hoc ergo, dum Melito excludit Canone, peculiare datur præjudicium causæ Pontificiæ, qvam defendit Bellarminus, reclamante non solùm jam olim Hieronymo, & magno Patrum choro: sed & propioribus Pontificiis ante Tridentinum Concilium, (non negante id Bellarm. l. 1. de V. D. c. 7.) N. Lira, Dionys. Carthus. Hugone, Thoma de Vio Cardinalibus Romanis: qvin etiam post Trid. Synodum, Sixto Senensi in lib. 1. & 8. Bibl. Sanctæ, non verito anathema Tridentinum: *si quis libros ipsos integros* (qvos inter Esther) *cum OMNIBUS suis partibus, prout in Ecclesiâ legi consveverunt, & in vulgatâ latinâ habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, Anathema sit.* Frustra objiciuntur Concilia & Patres, qvi librum Esther Canonicis annumerarint. Ab hoc enim Canonico ad supplementum, & omnes lacinias illi assutas Canonicas non V. C. Nec probat citatio, supplementum Canonicum, cum & illi citarint, qvi planè Canonicum negarunt, & Ambros. l. de bon. mort. & lib. 2. in Lucam & ep. 21. ad Horatianum, citet qvoqve testimonium ex qvarto Esdræ, & Athan. orat. 3. cont. Ar. Augustl. 18. de civ. Dei cap. 36. Cl. Alex. l. 1. strom. Cypr. in Epist. ad Pompeium citent qvoqve tertium Esdræ, Irenæus l. 4. c. 37. Tertull. l. de orat. & multi alii Pastorem, qvi tamen, ipsius Bellarmini judicio, planè sunt apocryphi. Sed satis de Melitone, & hujus occasione, vel scripti ab hoc ad Onesimum, Canonicorum V. T. Catalogi, de V. T. Apocryphis.

§. 24. Circumfertur qvoqve sub *Melitonis Sardicensis*, nomine, liber de *transitu* B. *Virginis*, & extat in tomo 7. Bibl. Patrum: sed qvia Pseudepigraphus est, & planè apocryphus, de hoc dispiciendum infra fuerit in classe 3.

II. ATHENAGORAS.

§. 1.

MIrari sanè licebat, medio seculo II. clarissimum adeo scriptorem, Justini æqvalem, Apologeticis pro fide Christianâ & legatione ad Impp. celebrem, Athenagoram vixisse, de qvo in Eusebio, diligentissimo sacrorum scriniorum Magistro, & ingeniosissimo illustrium scriptorum repertorio, Hieronymo prodigiosum ferè silentium. Et tamen sub tam vetusto nomine, duo in Bibliothecâ Patrum tomo 9. servantur scripta: unum, cujus titulus: *Athenagoræ Athenienſis Philoſophi Chriſtiani Apologia vel legatio pro Chriſtianis Imperatoribus M. Aurel. Antonino & Aurelio Commodo, Armenianis, Sarmaticis, & quod maximum eſt, Philoſophis* dedicata: alterum, *de reſurrectione*, qvorum libellorum nomine, qvia & antiqvitatem redolent, & tum ingeniosissimam Polytheismi Gentilium, & abominandorum sacrorum confutationem, ac Christianæ religionis universæ & resurrectionis mortuorum luculentam defensionem, contra argutissimas acutissimorum Gentilium ratiocinationes continent, & undiqvaq;, Athenensi Philosopho & Christiano digna, non sine magni ingenii & multæ lectionis clarissimis speciminibus, proponunt, nobis hîc media in classe locatur, Athenagoras.

§. 2. Ita in Apologia diversos gentilium ritus, qvibus liberè utebantur, usqve adeo, ut Ægyptii etiam *feles*, *crocodilos*, *serpentes & aspides* divino honore afficerent, ac ob felem necatum à Romano milite, ita tumultuarentur Ægyptii, ut militis capite crimen expiari poscerent, qvámq; adeo Paganismus à Christianâ

Christianâ religione discernatur, graviter describit, ūnde ipsos Impp. de Zelo malo contra Christianos tot persecutionibus exagitatos convincit: *Feles sc. serpentes, aspides & canes per vos divinis honoribus afficere licet: & hoc Impp. leges concedunt, sub illâ ratione, quod numen omnino tollere, scelus & impietas videatur. Nostrì tantùm* (ait Athenag.) *vobis Imperatores, qui Christiani vocamur, nulla cura est: finitis enim nos, qui nihil mali patramus imo omnium piissimè justissiméq;, cùm erga Deum, tum imperium vestrum nos gerimus, exagitari, rapi, fugari.* Nec minùs veterum Christianorum innocentiam ac patientiam, qvàm ex lege Christi egerint, deducit: *Non solùm*, inqvit, *si vapulemus, regerendis verberibus abstinere, & iis, qui nos nostraq; invadunt, aut diripiunt, litem nullam intendere didicimus: sed insuper illis, quantumvis colaphum inflixerint, alteram quoque capitis partem præbere: his verò, si tunicam abstulerint, pallium etiam addere.* Designantur in eâdem Apologiâ tria, qvæ damnandis Christianis à Gentilibus præcipuè objiciebantur criminum capita: *Trium*, inqvit, *flagitiorum infamis rumor de nobis spargitur, impietas, quæ Deos tollat, epulæ Thyesteæ, concubitus incesti: quæ quidem si vera sunt, nulli sexui, vel ætati parcite, ad pœnas rapite, cum uxoribus & liberis funditus extirpate! Si verò commenta improborum hominum, & inanes calumniæ sunt, vestrum, Imperatores, fuerit, inquirere de vitâ nostrâ, de opinionibus, de studio & obedientiâ erga vos.*

§. 3. Plusçula talia in Apologiâ pro Christianis, ex ipso Athenagorâ colligere licet, qvale, qvod de Veterum Christianorum munditiâ & vitæ puritate testatur: *Nos*, inqvit, *tantum à promiscuâ venere abstamus, ut ne intuitus quidem lascivior aut libidini conjunctus, nobis permittatur. Nam qui mulierem* (sit Magister noster) *vel aspectu sibi desiderarit, adulterium jam corde suo designavit. Nefas nobis in alios usus oculos corporis vertere, quàm à Deo conditi sunt, ut corpori luceant, quibus lasciviùs intueri, adulterij instar est.* Ibidem, *de osculo sancto* Christianorum,

de qvo Apostolus Rom. 16. 16. *Summâ cautione communicandum est osculum, ut non aliter quàm pia salutatio quædam habeatur, quæ si vel parum impurâ cogitatione inquinata fuerit, à vitâ æternâ nos alienat. Christiani, spe vitæ æternæ freti, præsentem hanc vitã, ejusq; delicias contemnimus. Uxorem sibi quisq; ducit, non in alium, quàm procreandæ sobolis finem. Multi ex nostris in cælibatu consenescunt, quod in hoc statu Deo se conjunctiores fore sperent. Non in meditatione sermonis & structurâ verborum: sed in rebus opere declarandis, tanquam doctrinâ vivâ, professio nostra posita est.*

§. 4. Velut error tamen notandus in Apologiâ, qvod nuptiis secundis, etsi non sine magnorum deinceps suffragiis, iniqvior fuerit: *Unusquisq;*, inqvit, *nostrum, vel ut natus est, manet, vel nuptiis copulatur unicis.* Et hæc qvidem de facto concedi poterant. Ceterùm durior est, qvam allegat, ratio: *Secundæ enim nuptiæ decorum quoddam adulterium sunt. Nam qui primâ uxore, licet defunctâ, seipsum privat, adulter est, & manum Dei transgreditur, quoniam à Principio Deus Virum unum & mulierem unam creavit, & carnem à carne & unionem miscendi utriusq; sexus separat.* Hæc contra Paulum Rom. c. 7. 1. 2. 1. Cor. 7. 39. de qvibus plusçula diximus ad Pastorem in rationario seculi I.

§. 5. Nec minùs illustre scriptum alterum Athenagoræ de resurrectione. Videbatur qvidem de animarum separatarum statu ante *corporum resurrectionem* minùs accuratè sentire. Si *corrumpitur*, inqvit, *corpus, & ad cognata sua elementa recedit, maneret autem per se anima, ut incorrupta, nullus esset locus judicio animæ, qvum non affutura sit justitia, quæ non adest, qvum non incolumis manserit aut capax judicij, qui justa vel injusta fecit. Qui verò singula in vitâ egit, de quibus est judicandus, homo fuit, non anima sola.* Ceterùm contextus docet, ex hypothesi *corporis sc.* sic *dissoluti*, ut nunqvam resurgat, & Autorem loqvi, & ex illâ hypothesi, negare, ipsi judicio divino integrum solidumq; jus constare, cum nec in hâc vitâ (ubi pessimis sæpè succedunt res

optimè) nec statim post hanc vitam in solâ detur animâ, unde ex *necessitate judicij totius hominis*, necessitatem probat mortuorum resurrectionis. conf. 2. Cor. 5. 10. 2. Thess. 1, 5. 6. 7. Nec minùs *ab ipsâ providentiâ divinâ*, ab animæ naturâ, ita attemperatâ, ut redunetur corpori, resurrectionem corroborat, & rationis qvoqve argumentis ingeniosè illustrat, sic tamen ut principium resurrectionis statuat *Dei potentiam & voluntatem*, prout Salvator Marci 12, 24. *Probat adeo Deo resuscitandi mortuos, nec voluntatem, nec facultatem deesse*, & hoc stereomate inprimis propellit illas argumentationes, qvas non Athei solùm vel indocti: sed etiam *Viri quidam eruditione admirabiles* æstiment insolubiles, *de corporibus, quæ sive in naufragiis sive bello navali vorantur à piscibus, vel in bello terrestri escam præbent feris & avibus, & talibus sæpè, quæ mactatæ iterum abeunt in ventrem & sanguinē humanum.* Opponit, Deo custodiam *omnium elementorum servari*, implicare, Deum *ignorare, vel unicam particulam corporum resuscitandorum, sive illæ particulæ in unam, sive plures bestias & vermes secesserint. Non sciunt*, inqvit, *qui id negant, Conditoris & Gubernatoris omnium potentiam & sapientiam*: probat qvoqve Physicè, *ex natura secernente sibi incongrua, sive ante, sive post concoctionem, per naturalia cribra & secernicula: non recipi, nec servari in membris famelicis, quod contra naturam est, nec cum illis corporibus coalescere posse, quibus ex naturâ congruus cibus non est. Quæ nutriuntur, familiaribus nutriri.* Pluscula lectio docebit. Nos hîc summas saltim lineas ex illustri scripto designare voluimus, unde constet qvid de toto sermone vel libro statuendum.

III. THEOPHILUS ANTIOCHENUS.

§. 1.

Hic Imperatoris Antonini Philosophi & Filii Commodi Antonini temporibus clarus, Episcopus Antiochenus, à Petro

(prout communiter numeratur) sextus, neqvaqvam ille κεφαλ-ης; Theophilus, cui Lucas cùm *sermonem primum*, s. historiæ Evangelicæ, adusq; ascensionē Christi librū, tum *secundum* s. *actus Apostolicos* inscripsit, prout Gulielmus Archiep. Tyrius l. 4. hist. belli sacri c. 9. nugatus, noviſſimè sub Commodo Martyr, dum terris occidit, cœlo est ortus.

§. 2. Sub hoc nomine, Hieronymi adhuc ætate, extiterunt scripta celebrata (1.) *liber contra Marcionem.* 2. *Libri tres ad Autolycum Christianæ religionis elementa explicantes & quasi seminarium fidei complectentes, adversus Christianæ religionis calumniatores.* 3. *Liber contra hæresin Hermogenis.* 4. *Alij breves & elegantes tractatus ad ædificationem plebis pertinentes*, de qvibus velut Theophili genuinis non dubitavit Hieronymus. 5. *Commentarij in* 4. *Evangelistas, & proverb. Salomonis*, de qvibus tamen Eusebio præteritis, sententiam paucis verbis in Catal. Script. Eccles. dixit Hieronymus: *Hi*, inqvit, *Commentarij mihi cum superiorum voluminum elegantiâ & phrasi non videntur congruere.*

§. 3. Ex tot Theophili scriptis, vel sub hoc nomine olim incedentibus, hodie non nisi *libri tres ad Autolycum*, & *Commentarij in Evangelistas* extant, in 1. Tom. Bibl. patrum edit. 2. p. 867. & seqq. p. 923. ceteri omnes libri, ille etiam Eusebio tantopere commendatus *contra Marcionem liber*, & alter *contra Hermogenem*, in qvo, notante Eusebio, olim ex *Apocalypsi Johannis* argumenta desumsit, vid. Euseb. hist. Eccles. l. 4. c. 23. æqvè ac alii veterum patrum, illacrymabili urgentur, ignotiq; longâ nocte.

§. 4. Merentur omninò laudem libelli tres, qvi sub titulo Theophili Patriarchæ Antiocheni contra Christianæ religionis Calumniatores, ad Autolycum scripti, extant in Bibl. patrum l. alleg. Erat Avtolycus, Gentilis Philosophus, Christianis maximè infestus, uqve adeo ut Christianæ religionis sermonem, nonnisi deliramentum & stultitiam reputaret (vid. l. 2.) tamen

tamen cum Theophilo de religione Christianâ peroranti attentas præbens aures φιλομαθῆ se ostenderet, *ipsas q; noctes in bibliothecis insumeret*, dignus peculiari hâc librorum, qvibus & religionis Christianæ veritatem fortissimè asserit, & Gentilium mythologiam & matæologiam, eâ, qvâ adversus Philosophum gentilem, disputandum erat, methodo ac lege, solerter excutit, fortissimeq; repellit, inscriptione visus fuit. Et primo qvidem libro, *Deum non videri cognoscive, nisi ab omni inquinamento purgatis, castè sanctèq; viventibus* (qvalem optabat esse Avtolycum) nonnisi *exuto corpore*, & *indutâ incorruptibilitate* condignè *Dei conspectu* hominem *frui*, consonanter Apostolo 1. Cor. 13. 12. c. 15. 50. 2. Cor. 5. 4. 6. protestatus, de duobus præcipuè disserit sc. 1. de *incomparabili*, & *incomprehensibili* sanctissimi Dei *majestate* 2. de futurâ *mortuorum resurrectione* (qvam negaverat Autolycus) In primo argumento, contra Philosophum, ex libro naturæ vel creaturæ, præcipuè disputat, eo sc. modo, qvo, invisibilia Dei, Paulo teste, ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται Rom. 1. 20. & hîc pulcherrimâ qvadam σωματοποιήσει mundum universum in Theatro repræsentat, velut illius majestatis Dei luculentum testem, eidemq; opponit Deorum gentilium ipsiusq; apotheoseos, qvâ ex hominib9 mortuis Deos commenti fuerint, vanitatẽ & flagitiosissimâ impuritatẽ, cumq; postularetur adoratio Cæsarum, ipse Theophilus: *Cæsarem*, inqvit, *honoramus & pro eo oramus: sed non adoramus*. Sc. prout Cæsares & terræ Reges non ferunt, subditos sibi, Cæsaris vel Regis honorem sumere: ita nec Cæsar debet adorationem, qvæ soli Deo debetur, & adeo id, qvod est supremi Numinis, affectare.

§. 5. In altero argumento probabiliter initio disputat, objiciens Avtolyco, qvædam velut præludia resurrectionis, vicissitudinem solis occidentis & orientis, Lunæ morientis, & renascentis, grani cadentis, inq; culmum fructificantem renascentis, plantæ arborisq;, ubi in ramis & trunco exaruisse videbatur, floridiorem

floridiore sæpe suppullulatione revireſcētis, paſſerculi, semē mali, vel arboris ventre exceptum & corruptū, in editiſſimo sæpè & diſtantiſſimo monte excernentis, unde ibi læta refloreſcat arbor, ipſius corporis in hâc vitâ mortali sæpe sic correpti letalibus morbis, ut conſumtâ carne, *promineant oſſa ejus, quæ non videbantur*, & tamen illa *ipſa caro*, Dei, qvē ſupplex oraverit, *beneficio recreetur plus quàm in pueritiâ, revertaturq; ad dies adoleſcentiæ ſuæ, ut aſpiciat faciē Dei cum jubilo* (prout Elihu apud Jobum tale reſtitutæ in hâc vitâ carnis deſcribit beneficium c. 33. 19. 20. 21. 22, 25.) qvibus præmiſſis, deducit Autolycum ad Prophetarum ſacrarium, & ut illis fidem accommodet, in hoc reſurrectionis argumento, urget eventus aliarum prædictionum. *Si cetera omnia, quæ prædixerunt, ita evenerunt.* E. *credendum, reſurrectionem quoque quam ipſi prædixerint, ita eventuram. Sed.* E. & adeo: *Credendum eſt Deo, à quo tot fidei habemus arrhabones. Ego ſanè*, inqvit, *non hæſito: ſed Deo fidem habeo, cui, ut tu quoque obtemperes, moneo: ne ſi nunc incredulus ſis, aliquando magno tuo malo, ſempiternis pœnis ſubditus, credere cogaris.* Cumq; poſceret Autolycus, ſibi oſtendi, qvi à mortuis reſurrexerit, argumento καθ' ἄνθρωπον uſus: *ſi*, inqvit, *credis, Herculem, quem flamma abſumſit, vivere, Æſculapium, fulmine tactum, vitæ reſtitutum eſſe, quæ dementia eſt, nolle fidem dare iis, quæ Deus loquitur?* Addit: *pœnas infernales etiam gentilibus Philoſophis & Poetis* haut ignotas olim, qvin prolixè commemoratas, qvæ illos reddituræ ſint ἀναπολογήτους in die noviſſimo.

§. 6. In eodem libro, per Sapientiam Dei intelligendum dicit *Filium*, qvod conſonat Canonico Salomonis Prov. 1. 20. c. 8. 1. 22. & Apoſtoli 1. Cor. 1. 24. Chriſto ipſi Luc. 11. 49. De Deo abſolutè, eſſentialiter, & κοινῶς loqvens, l. 1. & 2. aliqvoties appellat eum *ingenitum*, aliâ planè vocis ſuppoſitione, qvàm qvâ in notionibus relativis, ſive in contradiſtinctione ſoli Filii velut perſonæ genitæ, Pater, imo & Spiritus S. qvippe non genitus: ſed procedens,

procedens, vel in oppositione relativâ Filii & Spiritus S. solus Pater dicitur, *ingenitus* s. non ab alio productus. Nihil aliud sc. voluit Theophilus, qvàm Deum, velut essentiam æternam, immutabilem, esse τὸ Α καὶ τὸ Ω, principio & fine carere, & ipsum qvidem hanc universitatem condidisse, ceterùm ipsum creatum conditumve neqvaqvam esse: sed ingenitum & adeo principio carentem, & tamen non negat in illo ipso ingenito Deo dari λόγον genitum vid. lib. 2. Nec aliter supponit vox Patris, qvando: *Deum*, inqvit, *Patrem dici, quia ante hoc universum extitit.* Scil. non in relatione interna ad solum Filium: sed externa ad creaturas, qvomodo etiam Filius, Isaiæ 9. 6. & Spiritus S. Pater est omnis creaturæ Is. 63, 10. 11. c. 64. 2. Ita in libro 1. nihil apparet obelo & ἐπικρίσει censoria notandum.

§. 7. In secundo, jam inclinatiorem ad audiendum veritatem expertus Avtolycum, (1) Deos Gentilium γενεαλογουμένους, hoc ipso, qvo genealogiam suam ostendunt, convinci, non Deos: sed homines fuisse, & dum generatio illorum hucusq; non porrigitur, infirmum genus reputari, qvia sc. *aut omnes mortui sint, aut senio confecti generare desierint:* qvod si autem immortales permanserint, & generaverint, *majorem nunc Deorum, quàm hominum numerum esse oportere.* Exprobrat pariter, ad ostendendam Polytheismi vel Atheismi (in qvem ille resolvitur) Gentilis vanitatem, vel ipsius Jovis Gentilium impotentiam, *quod non potuerit ubiq; simul esse & cum providentiâ agere*, unde alii aliis Dii deputentur locis e. c. *Jupiter in Ida monte*, alii *in Olympo. Ceterùm*, inqvit, *Dei altissimi, qui omnia regit, req; verâ existit, hoc quasi proprium est, ut non solùm ubiq; sit: verùm etiam præsens omnia inspiciat, atque audiat, neq; loco capiatur: alioqui, quia id quod capit, eo quod capitur, majus est, locus Deo major inveniretur.* 2. Philosophorum & Poetarum Gentilium *de DEO & mundo* διεσπασμένας γνώμας sic commemorat, ut ex ipsis principiis domesticis contradictoriis, sententias ipsorum cumulatissimè

mè allegatas destruat, & Polytheismum omnem subvertat. 3. Opponit deniq; *veram de Deo, de primordiis mundi, generis humani, peccati, & mortis* doctrinam, ex scriptis Mosis, velut divinis & *omnium antiquissimis* (unde suffurati qvædam sint Philosophi & Poetæ gentiles, qvæ in suas mythologias perversè transtulerint) ipsumq; sic Avtolycum ablegat ad Genesin, s. librum 1. Mosis, & post hunc, ad alios qvoqve Mosis & Prophetarum libros legendos, & cognoscendum inde Deum, *qui fecit terram in virtute suâ, & paravit orbem in sapientiâ suâ, cœlos autem extendit intelligentiâ suâ* Jerem. c. 10, 12. obsignans tandem librum insignè Epiphonemate Prophetico ex Hoseæ c. 14. v. ult. *Quis sapiens & intelliget ista? prudens ut cognoscat ea? quoniam rectæ sunt viæ Domini, & justi ambulabunt in eis. Iniqui autem corruent in eis.* Hæc graviter, piè & eruditè Theophilus, illo ordine, qvo contra Adversarium infidelem ad lectionem scripturarum sensim adducendum procedendum erat, perorat, libro 2.

§. 8. Nec minus in ipsâ ἑρμηνείᾳ libri fulgent undiqvaq; sententiarum memorabilium & expositionum insigniorum exempla, utut non ubiq; literæ textus, fidei tamen mysterio partim analoga, partim, ubi exorbitant, non adeo præjudicantia. Qvale illud, qvod per *principium*, qvo *creaverit Deus cœlum & terram* Genes. 1, 1. intelligat SERMONEM, *quem Deus generit, quemq; in filis visceribus habeat, & semper habuerit*, qvo *sermone in mundi creatione usus fuerit, & per quem omnia, quæ fecit, condiderit*, qvi *sermo dicatur Principium, quod sit omnium Principium, dominatorq; omnium quæ per ipsum facta sunt.* Ut ergo constaret Deum, *sermone suo creasse cœlum & terram, scriptum est: In principio creavit Deus cœlum & terram:* confert cum illo Mosis loco Johannem c. 1, 1. qvi *clarissimè significarit* in *principio solum fuisse Deum & in eo Sermonem, & hunc esse Deum, per quem omnia facta sunt.* Non aliena illa à Scholâ Salomo 1., in qvâ ὁ λόγος Dei Filius appellatur רֵאשִׁית s. *principium Viæ Dei* Prov. 8. 22 sed &, ut jam præte-

prætereamus locum insignem Joh. 8, 25. 26. ubi solemniter compellatus Christus, ut diceret *quis esset?* τὺ τίς ἃ: *Tu qui es!* respondit: τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν & juxta Augustinum, ac Ambrosium Christus seipsum dixerit *Principium*, non aliena illa à stilo Apostolico, ipsius inprmis *Johannis Evangelistæ*, qvo Christus aliqvoties appellatus Ἀρχὴ s. *Principij* vocabulo Coloss. 1, 18. Apoc. 1, 8. c. 3, 14. c. 21. 6. 22. 13. Nec abit à Scholâ Veterum Hierosolymitanâ, in qvâ, qvod Moses habet: IN PRINCIPIO Targumista exprimit: IN SAPIENTIA בחוכמתא ברא יהוה i. e. *in Sapientiâ creavit DOMINUS.* Sapientiæ autem vocabulo Messiam intellectum in Scholâ Chaldæorum, & tum V. tum N. T. pandectis, notius, qvàm qvod probari debeat. Sufficit autem expositionem illam Theophili ceteroqvi analogam esse fidei, & pulcherrimum contra Photinianos & Arianos Vereres testimonium dare divinitati λόγου s. Verbi, *per quod omnia facta sunt:* sed & collatio illa Johannis cum Mose consonantissima est fidei Catholicæ, & toti antiqvitati orthodoxæ.

§. 9. Videri qvidem poterat minùs ὀρθοδόξων, p. 911. *Cum Deus jam condere, quæ deliberaverat, instituisset, hunc sermonem genuit prolatum, primogenitum universæ creaturæ.* Ceterùm, præterqvam, qvod generatio λόγου sit æterna & interminabilis, neqvaqvam mens Theophili fuerit, à Deo Patre tunc demum, qvando jam condere universa volebat, λόγον genitum, velut antea non existentem, & hoc sensu λόγον intelligendum primogenitum omnis creaturæ. Contrariũ ex toto apparet libro, in qvo nihil aliud magis insonat, qvàm λόγον & sapientiã in Deo æternã. *Non erãt*, inqvit, *Prophetæ, cum mundus crearetur: sed Sapientia Dei, quæ in ipso est, & SERMO ejus sanctus semper præsto erat*, allegato loco Salomonis Proverb. 8, 23. 24. 25. & paulò post: *Cum audis SERMONEM Dei, qui ejus filius est, non arbitreris, ut Poetæ & fabularum scriptores perhibent, Dei filios ex concubitu esse natos: sed intellige SERMONEM PERPETUO EXISTENTEM, & INSITUM*

IN CORDE PATRIS DEI, Antequam enim quicquam eorum, quæ facta sunt, fieret, hunc Consiliarium habuit, ut qui Mens & Sapientia ejus foret.

§. 10. Nec minùs videri alicubi poterat, personam λόγου & S. Spiritus confundere. Testatus jam antea erat, Sapientiam Dei esse *Filium Dei*. Citra dubium qvoqve Sermo *ille genitus*, Filius Dei est, idemq; illud PRINCIPIUM, per qvod Pater Deus omnia creavit. Et tamen, *hic*, inqvit, *existens Spiritus Dei principium & sapientia, altissimiq; potentia, descendit in Prophetas, per quos, seu organa, de mundi creatione, nec non de reliquis locutus est.* Idem ergò Theophilo videtur fuisse *Sermo*, qvi *Spiritus per Prophetas locutus*, & adeo hîc Sabellianismus. Ceterùm præterqvam, qvod, prout Deus πνεῦμα est Spiritus, ita Filius qvoqve Spiritus, & qvod in Prophetas non solùm descenderit Christus per Spiritum, unde Spiritus Christi dicitur fuisse in Prophetis προμαρτύρειν &c. s. jam ante testatus mysteria N. T. 1. Pet. 1, 11. sed & Christus ipse, & adeo Spiritus Christi non sine Christo fuerit in Prophetis, licet Theophilus, ubi in distinctione Sapientiæ & Sermonis, personam divinitatis sapientiam nominat, Filium familiarissimè intelligat, in contradistinctione tamen tali, ipsum qvoqve S. Spiritum Sapientiæ, prout Christum Sermonis vocabulo designat. Ita l. alleg. *Deus habens suum SERMONEM in visceribus suis, genuit, cum eum produceret, cum suâ SAPIENTIA ante hæc universa.* Ita idem ibidem: cum mundus *crearetur*, SERMO DEI SANCTUS & SAPIENTIA DEI, *quæ in ipso est, semper præsto erat*, & post interjecta qvædam: *Tres dies*, inqvit, *qui præcessere creationem luminarium*, TRINITATIS *mysterium sacrosanctum repræsentant, videlicet, DEUM, Sermonem, Sapientiam.* Nihil adeo hîc pro Sabellianismo.

§. 11. Pro qvo arcendo facit qvoqve pulcherrima expositio illius dicti Creatoris Gen. 1. 26. *Faciamus hominem! Deus*, inqvit, *cum cetera obiter & quasi nullâ adhibitâ peculiari diligentiâ conderet,*

conderet, hominem existimavit solum esse opus sempiternum, suis manibus dignum. Praterea hæc loquitur, ac si auxilio aliquo egeat: At hæc verba: Faciamus hominem! ad nullum alium, quàm ad suum SERMONEM SAPIENTIAM QVE dixit. Consonat illi expositioni Canon Syrmiensis: *Si quis hoc*: Faciamus hominem, *non Patrem ad Filium: sed ipsum ad sese Deum dixisse dixerit, anathema sit.* Sanè qvi hominem *ad imaginem suam* creavit, is qvoqve dixit: *Faciamus hominem in imagine nostrâ* v. 26. 27. Atqve Elohim *Pater Filius & Spiritus S.* creavit. E. *& dixit.* Qvia autem nec Spiritus S. sine Patre & Filio, nec Filius sine Patre, illud opus creationis potuit magis dicere, qvàm perficere Joh. 5. 19. inde, supposito, qvod *dicere* illud, sit commune *Elohim*, ratione ordinis tamen, peculiaris hîc qvædam datur ad Patrem relatio. Itap. 914. non solùm Adamo Oratori adscribit Orationē illam Genes. c. 2. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis & caro ex carne meâ*: sed & illam v. 24. in qvâ Adamus primus *de Christo* (conf. Ephes. 5, 31. 32.) *Propheta*, vaticinatus fuerit, & adeo illud *Deus* non immediatè: sed mediatè per Adamum dixerit conf. Matth. 19. 5.

§. 12. Nec minùs p. 911. ad objectionem Autolyci, ex loco Gen. 3. 8. 10. *Qui ambulat in Paradiso is comprehenditur loco.* Deus &c. E. Respondet: *Sermo Dei, per quem omnia creavit, existens potentia & sapientia Patris, assumit personam Patris & Domini universorum. Is venit in Paradisum & colloquebatur cum Adamo, siquidē scriptura diserte ponit, Adamum dixisse: VOCEM TUAM audivi in horto. At vocem Dei quid aliud dixeris, quàm SERMONEM DEI QVI EJUS FILIUS EST.* Sanè in fontibus, ex accentuationis consilio, prædicatum מתהלך בגן *ititans* (s. *frequenter ambulans*, personans) *in horto*, non immediatè ad DOMINUM DEUM: sed ad קול s. *vocem Domini* referendum, & reddendum: Sie höreten die Stimm des HErren/ die im Garten ging/ eo modo qvo alibi, ubi pulchrè noster Lutherus, die Stimm des HErrn gehet mit Macht/ die Stimm des HErrn gehet herrlich.

herrlich. Ps. 29, 4. Juxta Theophilum ergo, filius Dei in assumtâ figurâ collocutor cum Adamo in Paradiso & Hevam ipsi adduxerit, & cetera illa c. 3. 8. 11. 12. 14. 15. elocutus fuerit.

§. 13. In expositione autem *Spiritus Elohim*, cujus mentio Genes. 1. 2. non satisfecit. Videri sanè poterat Autor, Spiritum S. intellexisse, qvando sic loqvitur: *Spiritum, qui ferebatur super aquas largitus est Deus creaturæ, ut ejus ope viventia posset producere.* Ceterùm mox explicat mentem, cum dicit, *Deum voluisse tenue tenui commiscere, cum Spiritus sui naturâ tenuis sit, prout & aqua, & sic aquam additam Spiritui nutrire & conservare universam creaturam.* Eqvidem & Arabs de vento validè spirante exposuit: وريح الله يهب على وجه الماء i. e. *Et Spiritus Dei validè flabat super aquas*, & Chaldæus de vento intellexit, qvi cum illo primo die creationis, nondum ordinato aere, ex cujus agitatione sensibili tactu ventus est, insignior, & sic, ut, cum addito, ad auxesin designandam, nomine אלהים exprimatur, (eo modo, qvo communiter nomen divinum substantivo additum, summum & excellentissimum, aut maximum & vehementissimum significare dicitur ut Ps. 80, 11. Gen. 30, 8. & juxta Lud. de Dieu 1. Reg. 10, 1. Ps. 68, 16.) dari non potuerit, maluit *ad Autorem* s. causam efficientem, qvàm ad *intensiorem* referre *gradum*, reddens: ורוחא מן קדם יהוה מנשבא על אפי מיא i. e. *Et ventus à Domino*, vel, prout habet Abenesra: שליח כחפץ השם ליבש המים i. e. à *Deo specialiter immissus ad exsiccandũ aquas, flabat super faciem aquæ.* Ceterùm, præterqvã, qvod die 1. ante creatam lucem, nondum aer fuerit, nec adeo ventus, obstat prædicatũ nõ passivũ: sed activum, nec genuinũ vento: sed agenti (per δύναμιν ἐνεργητικὴν e. c. ζωοποιητικὴν vel αὐξητικὴν, qvomodo de aqvilâ incubante implumibus pullis dicitur Deut. 32. 11.) supposito, qvod cum tunc, præter divinum nullum extiterit, nec, præter personam divinam, talẽ operationẽ creaturas producendi, præstare potuerit, omnino, non pro vento, vel qvocunq;

cunq; creato ſpiritu: ſed unicè, pro Sancto Patris & Filii Spiritu hîc concludendum fuerit, adumbrante id qvodammodo tam Targumiſtâ Hieroſ. exprimente per רוחא דרחמין מן קדם יי i. e. *Spiritus miſerationum de coram Domino* (etſi in prædicato non ſatisfecit) qvàm ex Rabbinis, Salom. Jarchi explicante de כסא כבוד ſ. throno *gloriæ de ſuper aquas, inſtar COLUMBÆ* (prout ſuper aqvas Jordanis ipſumq́; Chriſtum baptizatum) *ſeſe manifeſtante.*

§. 14. Memorabile magis illud, qvod, cum lectio Vulgata Latina jamdudũ corrupti Protevangelii Paradiſi, rea ſit, ad Mariam referendo, qvod in fontibus manifeſtè prædicatur de ſemine mulieris Chriſto, & adeò perversè legendo: *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus* (etſi in poſterioribus editionibus in margine appoſitum maſculinum *ipſe*) Theophilus in ſecundo hoc ad Autolycum libro conſonanter Hebræis fontibus legit, ſc. *Ipſum ſemen mulieris* (non: *mulier*) *conteret tibi caput, & tu conteres ejus calcaneum*, (non, *mulieris*: ſed *ſeminis mulieris*) Non juvat lectionem corruptam prava Bellarmini incruſtatio l. 2. de V. D. c. 12. Non (1) lectum ſibi unum codicem, in qvo ſit ſcriptum non הוא: ſed היא. Poſtqvam enim jam non aberrare ſaltim voluit: ſed errorem qvoqve tantâ obſtinatione defendere Papiſmus, qvid mirum, ſi pro illo, lectione aliqvâ Codicis, legitimãdo, auſa ſit manus ſacrilega, literæ qvicqvam abradere, vel punctum qvoqve transponere? Nec enim ſi id ex ipsâ ortum eſſet conſtanti Codicis editione, in uno ſaltim vel etiam altero erronea illa lectio contineretur codice: qvod tanto magis veriſimile, qvantò magis revelatus ille truncator & adulterator ſtilus Guidonis Fabricii, qvi non ex negligentiâ, vel Typographi errore: ſed deliberato conſilio & de induſtriâ exemplari Bibliorum Antverpienſium inſeruit הוא pro הוא teſtante id jam olim Franciſco Lucâ in notis: Non juvat 2. הוא paſſim occurrere in ſacris Bibliis per הוא. Gen. 3. 12. Exod. 3. 8.

Nec

Nec enim qværitur, an הוא aliqvando sit legendũ per היא? qvod nõ magis imò minùs negatur, qvàm היא posse aliqvando legi per הוא: sed qværitur an pronomen scriptum הוא, qvale constanter datur in Mose Gen. 3, 15. & adeo cum tali vocabuli puncto idem sit qvod היא, qvod negatur, nec ulla planè hìc exceptio datur.

§. 15. Non juvat 3. Fictitia *enallage generis*. Præterqvam enim qvod suspecta ubiq; illa, etsi apparenter daretur, nec in communi Grammaticorum censu habenda: sed ex sacrario Domini sanctè explicanda, qvàm profanus planè & temerarius ausus fuerit, in uno dimidiove commate tot enallagas generis multiplicare, ut sit (1) הוא masculinum, pro היא feminino, & adeo *ipsa*, pro *ipsum*, *sc. semen* vel ipse *Filius mulieris* (2) ישופך *verbum 3. masc.* pro תשופך f. 3. fem. (3) תשופנו pro תשופנה *affixum sc. 3. pers. mascul.* pro *femin.* Nihil hâc violentâ μεταβλώσει & adulterante criticâ in sacris detestabilius dari facilè poterat. Nec exempla à Bellarmino allegata tantum portentum Enallagisticum in uno inprimis tmemate ostendunt, vel hoc loco absolvunt. Supponit, in illis applicatis, in fonte Mosaico legendum היא vel הוא, qvod est petere principium, & evidentiæ codicum ac consensui Catholico omnium veterum Christianorum, & Judæorum qvoqve antiqvissimorum contradicere. Præterea *Naomi* in Oratione ad *nurus*, qvibus persvadere volebat maturos in patriam reditus, sic precata: *exerceat Dominus erga vos* (עמכם in affixo 3. pers. masc.) *benignitatem, quemadmodum exercuistis* (iterum in genere mascul. עשיתם) *illam erga mortuos, & erga me*, non ad solas nurus respexit: neqve enim hæ solæ per decem illos annos, qvibus consederant apud Moabitas, *benignitatem erga Naomi*, ejusdemq; antea *Maritum & Filios* exercuerant: sed &, ad illarum Parentes, cognatos, ceterosq; qvibus adeo in universum reciprocam precatur benedictionem.

§. 16. Neqve ad causam præsentem Bellarmini facit, sive exemplum ex libro Esther c. 1, 20. sive alterum ex Eccles. 12, 4.

ubiin.

ubi in priori est כל נשים יתנו יקר *omnes Feminæ* (gen.fem.) *tribuent* (masc.) *honorem maritis suis*: in posteriori autem: וישחו כל בנות השיר *Et deprimentur* (masc.) *omnes Filiæ* (fem.) *Cantici*. Præterqvam enim, qvod in primo, נשים in genere femininо jam supponantur, cum contrà, in loco præsenti supponendum sit, prout constanter in fontibus legitur, non femininum הוא vel היא: sed masculinum הוא, & in loco posteriore detur Synonymia grammatica etiam masculina, cujus maxima ratio habetur in genere prædicatorum, qvale qvid in loco præsenti Gen. 3. 15. est inapplicabile, utrobiq; non una vel altera mulier, nec unus vel alter sonus *instrumenti musici* intelligitur: sed universitas, ibi *mulierum*, hic *instrumentorum, vel sonorum Musicorum*, atqve adeo ibi subjectum Grammaticum est, si explicitè proponatur, כל נשים, hic כל בנות השיר, ut sic utrobiq; expiret illa enallaga Bellarmini.

§. 17. Nec juvat 4. objecta Patrum qvorundam, legentium: *ipsa conteret tibi caput*, autoritas. Non enim qværitur de facto: sed de jure. Imo illud ipsum, qvod Patres qvidam ita legerint, debetur erranti versioni Latinæ (Tridentinorũ tamen judicio, qvod prodigio simile videri poterat, etiã ante contradictorias Pontificu correctiones, authenticæ, ipsisq; fontibus præferendæ) unde non tam Græci, qvàm Latini Patres hîc in fermento vitiosæ versionis latinæ hæserunt, ut non sine crimine falsi pro illâ lectione Bellarminus Chrysostomum hîc allegaverit hom. 17. in Gen. cũ non solùm Græca, qvâ usus Constantinopolitanus ille Patriarcha, translatio, constanter & emphaticè (nõ minùs qvàm Paulus ad Galatas c. 3. 16.) legat αὐτός: sed omnia verè Græca exemplaria (paucis illis, qvæ à Latino interprete corrupta sunt, exceptis) constanter habeant *in genere masculino* αὐτός, ut sine fronte Jesuiticâ, corruptam illam latinam, neqvaqvam Chrysostomi lectione liceat legitimare. Sed nec qværitur, an in Latinis Patribus tolerari qvodammodo potuerit, &

piâ explicatione (e. c. per meton. effectus pro causâ, ita ut *ipsa mulier* dicatur *conterere*, qvatenus *peperit illum qui contrivit caput serpentis*, & adeo revera non *mulier*: sed *Filius mulieris contriturus* intelligatur *caput serpentis*) mitigari, vel conciliari, vitiosa ceteroqvi lectio: sed an ista, genuinæ & Spiritus S. per Mosen revelatæ intentioni consonans illius protevangelii lectio, vel ipsius qvoqve Hieronymi translatio sit, an verò utriusq; corruptio? qvorum prius negamus, posterius affirmamus. Et pro nobis qvoqve hîc militantem scriptorem antiqvissimum Theophilum Antiochenum, ad *semen mulieris*, non ad *mulierem*, referendo prædicatum *conterendi serpentini capitis*, pulcherrimè pro nostrâ & lectione & orthodoxiâ, contra Papatum tunc nondum natum, militantem, commendamus ac adversariis opponimus.

§. 18. Neqve verò velut heterodoxum allegandum: sed ex ipso Autore considerandum *& explicandum*, qvod de homine ante lapsum scripsit: *Mediam conditionem obtinuit homo, nec totus mortalis, nec totus immortalis existens: verùm utriusq; extitit particeps.* Non sanè mens Theophilo, in naturâ hominis integri supponere, naturalem languorem, vitium, morbum, luctam carnis contra Spiritum, & exinde ingentem benè agendi difficultatem, concupiscentiam transcendentem limites rationis, propensionem ad omnia vitia, dolorosam fragilitatem, mortalitatem, qvam imago divina velut *extrinsecus saltim* (verba sunt Bellarm. l. un. de grat. 1. hom. c. 6.) *assuta & superaddita*, atqve hoc sensu donum merè *adventitium & supernaturale*, qvò minùs in actum secundum erumperet, ita prohibuerit, vel impediverit, prout vel frenum ferociam in eqvo, vel oleum rubiginem in ferro? Resolveretur ita mortalitas, & illa ipsa *ad omnia vitia propensio*, in Deum ipsum Creatorem, non saltim hominis: sed & illius materiæ, unde homo formatus corpore, ut frustra excipiatur, *ex conditione materiæ, non ex conditoris intentione*

tione illam mortalitatem futuram, ipsamq́;, si in puris naturalibus mansisset, mortē consecuturam fuisse. Imputat Theophilus causam & mortalitatis & mortis omnem Diabolo & hominis peccato s. lapsui, ac inter mortalē, & absolutè, vel sic, prout sive Angeli sancti, & triumphantes in cœlis electi, immortalem, mediâ viâ incedens, & mortalem negat, & hoc posteriore modo atq́; adeo secundùm qvid, immortalē, qvippe qvi, prout potuisset non peccare: sed semper perseverare in bonis & sic nunqvam mori: ita potuerit peccare, & non perseverando in bono, mortalis fieri, & mori. Apparet id ex seqventibus. *Dicat quis: Mortalis ne creatus est homo? Nequaquā. Si enim mortalem eum ab initio formasset, Deus sanè autor hominum mortis videri posset. Sed & si à primordio suæ creationis, immortalem eum condidisset, Deum eum constituisset. Apparet igitur hominem à Deo esse factum utriusq́; participem, qui sc: si servaret mandatum Dèi, immortalitatem mercedem caperet, sin autem ad peccatum conversus Deum relinqueret, sibi ipsi autor mortis foret. Nam liberum & sui juris creavit Deus hominem. Homo suâ inobedientiâ, quasi proprio jumento mortem sibi apportavit. Protoplastum nostrum inobedientia Paradiso expulit.* Addit: *Deus nobis legem & præcepta sancta communicavit, quæ si homo servarit, salutem consequi, & resurgens hæreditatem incorruptibilem nancisci poterit.*

§. 19. Hexaemeri præcipuè Mosaici in illo ad Autolycum libro 2. fuit admirator religiosissimus. *Tanta est*, inqvit, *excellentia magnitudoq́; & tantæ sunt divitiæ, divinæ, quæ latet in hexaemero, Sapientiæ, ut illius, nullus homo possit vel ordinem vel dispositionem pro dignitate eloqui, vel, licet decies mille annis in hoc mundo peregrinans viveret, quicquam tantâ materiâ dignum profari.* In expositione illius habet alicubi observatu digna e. c. ad v. 1. Genes.. *Primo*, inqvit, *loco, ubi scriptura sacra tractat creationem s. mundi generationem, non loquitur de isto firmamento visibili: sed aliud quoddam cœlum nobis invisibile proponit, secundùm quod, visibile hoc firmamentum nuncupatum est, quod quidem aquæ dimidium sursum rapuit, ut in hominum usum, pluviam, & rorem funderet: reliqua aquarum dimidietas relicta est terræ, ut sint flumina, fontes*

na fontes, stagna, Maria. Ita ad diem tertium: *Mundus comparatur verissimâ ratione mari: prout hoc, ni fontium fluminumq; fœcundos influxus sensisset, & ex salsugine dulcibus aquis dilutâ, alimentum cepisset, jamdudum intercidisset: sic & mundus, extra legem & Prophetas subinde dulcedinem Evangelicam scaturientes, si fuisset, jamdudum interiisset. Sicut in mari insulæ quædam habitabiles & frugiferæ & stationibus projactatis in mari procelloso commodæ: quædam steriles & saxosæ: ita in mundo dantur Ecclesiæ veræ, ad quas qui confugiunt, salvantur: dantur etiam hæreticæ, & in his piratæ, ad quas qui appellunt, extrema pericula subeunt.* Hæc & plurima aliâ, qvàm suo loco in homiliis usui esse possint, facilè constabit.

§. 20. Non minùs in 3. ad Autolycum libro, & eruditionem seculi, & dives scripturarum penu ostendit, nullaq;, prout decebat tantum Episcopum, fuco picturatam sanctimoniam. Consilium ipsi in hoc libro, breve & succinctum proponere *hypomnema*, qvo & religionis ac scripturarum divinarum doceret venerandam antiqvitatem, & profanorum scriptorum, ipsiusq; gentilium superstitionis s. falsæ religionis recentiorem, multisq; ineptiis & contradictionibus refertam vanitatem. *Quæ utilitas*, inqvit, *manavit ad Orpheum, quod initio, 360 Deos confessus, hos tandem rejecerit in suo testamento, asserens, unum esse Deum. Quid Socrati commoda attulére Damonia, quæ invocabat? Quid viro conduxit, quod juraret per quàm sanctè Canem, Anserem, Platanum, Æsculapium fulmine tactum? sed & quod voluntario animo nihil trepidans mortuus est, quam sperat post obitũ mercedem nanciscì?* ostendit, illos, mox de Diis multa locutos, mox, prout Critias, Protagoras, Clitomachus & impurissimus Evemerus, Numen omne abnegasse: mox qvædã *de gubernatione mundi* sermocinatos, mox, præeunte Pythagorâ, omnia *casu, suâ* sponte facta, nec providentiâ: sed *fortuitò* mundum gubernari confessos. Præterea *de morum gravitate* scribere conatos, mox *adulteria, omnemq; immunditiem*, ipsam etiam *Sodomiam* ceteraq; flagitia, qvæ animus meminisse horreat, & describere minimè expediat, usqve adeo docuisse, ut religiosa habuerint, & ipsis Diis autoribus & patratoribus talium imputarint, & tamen, qvorum scelerum ipsi orbi terrarum manifesti sint, illorum, ingenti crimine falsi, dicam Christianis scribere ausint sc. (1) *promiscui concubitus* (2) *incestæ libidinis.* (3) ἀνθρωποφαγίας, qvibus addant calumniam *novitatis*, ac si *religio Christiana* recens, qvoddam hominum otiosorum commentum ἀναπολόγητον esset, *quod*

nullâ

nullâ ratione defendi posset. Ostendit contrà ex *Zenonis, Diogenis, Cleanthis* libris abominabilem vescendi carnibus humanis morem, usqve adeo, ut liberi mactatos in sacrificiis Parentes in ventrem demiserint, prout contrà, Herodoto teste, Cambyses necatos coctosq; Patri Harpago filios comedendos apposuerit, ipsis gentibus decantatum, Platonem secutum Cretensium legislatorem, 1. de Rep. libro *promiscuos* (ut sc. *omnium uxores sint communes*) Epicurũ, *incestos* qvoq; *concubitus, cum matre & sorore* suasisse, παιδεραστὰς fuisse, illos, ceterosq; talia & alia flagitia docendo & ipsis diis adscribendo (qvomodo ad Attim castratum, ad Jovem Tragœdum, ad Antinoi lucos illos ablegat) mustos adolescentum animos ad detestandas tales conjunctiones impulisse, & sub simulacro habituq; Philosophiæ, *mundum impietate implevisse.*

§. 21. Tantæ igitur Gentilium matæologiæ opponit fidem Christianorum: *Nos*, inqvit, *Deum confitemur unum, conditorem, creatorem & opificem hujus universi mundi, cujus divinâ providentiâ omnia administrantur, & ab uno illo & vero Deo legem sacrosanctam didicimus. Solus quippe Deus legislator noster, nos piè, justè honestè* (respectus citra dubium ad Apostolum commendantem τὴν χάριν τὴν σωτήριον παιδεύουσαν ἡμᾶς s. *gratiam illam salutarem erudientem nos, ut abnegatâ impietate & mundanis concupiscentiis* σωφρόνως, δικαίως, καὶ εὐσεβῶς s. *temperanter justè & piè vivamus in hoc seculo* Tit. 2. 11. 12.) *vivere docet.* Cui probando, *Decalogum*, (in qvo illud de non faciendo ad cultum sculptili, cum illo: *Non erunt tibi Dij alij præter me*, conjungit, & illa de *non concupiscendo* præcepta distinguit) & ex ceteris c 21, 22. 23 Exodi descriptis legibus, summarium qvarundam non minùs in Rep. Christianâ, qvàm veteri Judaicâ, obligantium, subjungit, historiam populi qvondam selecti, πάντα ὑπὸ μίαν σύνοψιν σωματοποιήσας, ex sacro codice bonâ fide describit, nec minùs, qvomodo consilium Dei præcipuum fuerit *homines ad pœnitentiam vocare*, accumulatis Prophetarum testimoniis (qvæ inter præcipuè fulget illud Dei non protestantis saltẽ: sed & *jurantis, se nolle mortem morientis* ex Ezech. c. 18. 11. 22. 23. 30. 31. 32. c. 33. 11. 12.) ostendit, qvàmq; sancta Christianorũ disciplina sit, qvippe qvi lege divinâ jubeantur, *non solùm non opere: sed ne mente quidem peccare, cor*, ipsosq; *oculos*, ne qvid impurè videant, *frenare, inimicos diligere*, nemini qvicqvam, nisi *dilectionem debere*, nec MONOMACHIAS, nec cetera

(multò minùs ludicra, ipsoq; actu scandali plena) SPECTACULA, *oculis usurpare, ne oculi nostri inquinentur, & aures hauriant profana, quæ in illis decantantur carmina. Non fas nobis est, audire deorum hominumq; adulteria, quæ suavi verborum modulantur mercede & præmiis inducti celebrant.* PENES CHRISTIANOS MODESTIA ET TEMPERANTIA FLORET, CONTINENTIA VIGET, UNIUS UXORIS LEGITIMUM MATRIMONIUM SERVATUR, CASTITAS COLITUR, JUSTITIA EXERCETUR, RELIGIO TRACTATUR VERA. Absit ergo, ut Christiani, qvos VERITAS GUBERNAT, GRATIA SERVAT, PAX PROTEGIT, DIVINUM VERBUM DUCIT, SAPIENTIA DOCET, CHRISTUS, qvi vera est vita, REGIT, DEUsq; solus imperio TEMPERAT, *absit, ut talia facinora vel cogitemus, nedum faciamus!*

§. 22. Apparet, ex pauculis his excerptis, qvàm simplex, qvàm sincera, nulloq; Papistarum vel aliorum deinceps in hæreses egressorum fermento infecta veterum illorum Christianorũ FIDES, qvamq; ad verbi divini Canonẽ, unde sanctissimas & aureas illas vivendi regulas excerpsit, commendavitq; Theophilus, sc. ex Prov. c. 4. à v. 23. ad finem c. 6, 16. 26. & seqq. Matth. 5. 44. & seqq. c. 6. 3. Rom. 13. 7. 8. planè compositа, pura & innocua illorum VITA fuerit, & qvantum ab illâ sinceritate & sanctitate exorbitatũ posterioribus seculis. Neq; datur aliud melius & fidelius medium emendationis temporum, qvàm ut ad primævam illam simplicitatem, sanctitatemq;, doctrinæ, & vitæ, Christianorum nomen religionemq; profitentium causa omnis revocetur, atqve sic longè maximum conversionis, ipsorum inprimis infidelium Judæorum & gentium, obstaculum removeatur.

§. 23. In ipsâ tamen de libris Theophili ad Autolycum ἐπιφωνήσει nostræ Theologicæ clausulâ notamus, circa numeros sacros, inq; ipsâ Chronologiâ Genealogicâ sanctorum ante & post diluvium Patriarcharum, unde contexere ipsiq; libro tertio inserere voluit certissimum qvoddam sanctiorum temporum rationarium Biblicum, perpetuò ferè (prout in Chronologicis, dato uno absurdo, non possunt non infinita seqvi) exorbitatum Theophilo, tum à numero in veris Canonicis vel authenticis Mosaicis, tum ab illo, in Codice Græcæ τῶν LXX. versionis, expresso. Constabit ad oculum diserimen illud Chronologicum, ex tabellâ subjectâ, annorum generationis, juxta computationem Mosis (sub lit. M.) Græcorum

corum Interpp. (sub lit. G.) Theophili (sub literâ T.) Scilicet genera-verint nati annos,

	M.	S.	T.
Adam	130.	230.	330.
Seth	105.	205.	205.
Enos	90.	190.	190.
Cainan	70.	170.	170.
Mahalal	65.	165.	165.
Jared	162.	162.	192.
Enoch	65.	165.	175.
Metusal.	187.	187.	187.
Lamech	182.	188.	188.
Noach	500.	500.	500.
An. diluv.	100.	100.	100.
fuerit a. mundi.	1656.	2262.	2402.

Et tamen in subductione ab Adamo condito usqve ad diluvium numerat annos non 2402. sed 2322. Ita post diluvium in solo *Semo* consensus est: post Semum planè abit à fontibus, qvando Arphaxad genuisse dicit natum annos 135. (juxta Mosen a. 35.) Schela 130. (juxta M. 30.) Eber. 134. (i. M. 34.) Peleg 130. (i. M. 30.) Reu 132. (i. M. 32.) Serug 130. (juxta M. 30.) Nachor a. 79. (i. M. 29.) & inter Arphaxad ac Sale patrem Heber admittit *Cainan*, cui generanti *Selam*, assignat annos 130. Supponit præterea Terachum anno æt. 70. (de qvo qvidem dubium nullum) genuisse: sed primogenitum Terachi nonnisi Abramum fuisse, qvi 100. annos natus generit Isaacum. Deducit inde summam annorum à condito homine usqve ad Abramum, annorum 3592.

Prout

Prout autem abit hæc qvoq́; Chronologia Theophili à fontibus Mosaicis: ita & in subductione, abit à se ipsâ, etiamsi detur (1) Semum primogenitum Noachi. (2) Arphaxad natum ipso exeunte anno diluviano, & (3) includatur in termino ad qvem, annus Abrahami Isaacum generantis, qvi ætatis jam fuit centesimus, qvin (4) detur Abramus Terachi primogenitus, reclamante tam in Abramo qvàm Semo veritate. (4) ille Kainan hypobolimæus, utcumq́; à Luca qvoqve insertus, cum annis 130. Exiret nihilominus inde à diluvio usq; ad Abramũ generantẽ summa annorũ nonnisi 1170. & adeo additis superioribus ab orbe condito, Theophili, 2322, nonnisi 3492. Sed πρῶτον ψεῦδος inventu facile. Auctus error errore, additi sunt denuo 100. anni Semi generantis Arphaxadum, qvi jam includebantur in superiori supputatione antediluvianâ, à Noachi anno qvingentesimo adusq́; diluvianum, Noachi sexcentesimum. Et tamen nonnisi his 100. denuo additis exsurgent postdiluviani 1270. &, additis Theophili antediluvianis numeris 2322. prodibunt ab orbe condito ad Abramum, ex hypothesi, primogenitum Terach generantem anni 3592.

§. 23. Agnoscendum sanè velut luculentum providentiæ divinæ argumentũ, qvod in *solis fontibus Mosaicis & Propheticis* inviolata, inq́; codicibus omnibus constantissima perseveraverit Chronologia, exorbitantibus tantopere Græcis, Samaritanis, Latinis etiam alicubi Codicibus, ipsisq́; vetustorũ Patrum computationibus: qvin agnoscendũ simul, ex hoc insigni tanti scriptoris (qvi promiserat *accuratissimum* ex ipso Mose θεοπνεύστῳ temporum *rationarium, ante- & post-diluvianum*, &, ut *voti corpos fieret, & exacte rerum temporumq́; veram rationem explanaret*, Deo *supplex factus erat*) παραπτώματι Chronologico, qvanto periculo abeatur à fontibus, & indulgeatur corruptis ut plurimùm, inq́; accurato judicio sive Chronologico sive Theologico non satisfacturis versionibus.

De S. Theophili Patriarchæ Antiocheni Commentariorum s. allegoriarum in S. Evang. 4. libris.

§. 1.

DE his judicium Hieronymi jam ante notavimus, sc. illos cum *ceteris ejus Autoris voluminibus phrasi & elegantiâ non congruere.* Ex qvo judicio non solùm Magdeburgenses: sed & ex Pontificiis Sixtus Senensis Bibl. lib. 4. in voce THEOPHILUS, Baronius ad Seculum II. Bellarm. l. de Script. Eccles. Sec. 2. Rivetus qvoqve Crit. Sac. l. 2. c. 7. citra peculiarem ferè censuram dimiserunt, Theophilus, ait Sixt. Sen. l. alleg. *sextus post Petrum Apostolum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, 4. Evangelistarum dicta in unius historiæ corpus compegit, eaq; Græcis commentariis illustravit. Hos ceteris ejus voluminibus, quæ adversùs hæreticos scripsit, dictionis elegantiâ impares esse testatur Hieronymus, exhibens modicum ejus gustum in expositione parabolæ de villico iniquitatis, quam Hieronymus de Commentariis Theophili transtulit, cum ad Algasiam de quæstione ejus parabolæ ab eâ interrogatus responderet.* Hæc qvæ de Theophilo,&, qvæ sub tanto nomine feruntur, & in Bibliothecâ S. Patrum tomo 1. inde à p. 868. translata continentur, Commentariis, notavit Sixt. Sen. l. alleg. Juvat autem de illis peculiarem præviâ minutiori illorum excussione ἐπίκρισιν hîc dare.

§. 2. De Commentariis igitur illis brevibus ponimus 1. Opusculum illud expositiones benè multas habet probandas. 2. Licet habeat qvoq; expositiones allegoricas duriores s. violentas 3. non tamen hæresi Arianâ infectas. 4. Opusculum illud, sive sit revera Theophili illius (qvod majori verisimilitudine

affirmatur, qvàm negatur) sive non sit, antiqvissimum tamen est, & Scriptoris vetusti Catholici: de qvibus singulis nunc ordine agendum fuerit.

§. 3. Eqvidem Algasiæ nobili, & ex ultimis Galliarum finibus ortæ feminæ, *Apodemium* (qvi, verba sunt Hier. epist. ad Algas. 151. *longâ navigatione, interpretationem nominis sui signans, de Oceani litore & ultimis Galliarum finibus, Româ præteritâ, Bethlehem quæsivit*) ad S. Hieronymum in Bethlehem usqve, unà cum præcipuis ex N. T. qvæstionibus in chartâ qvadam consignatis, mittenti & illarum solutionem reqvirenti, ad qvæstionem 6. *Quis* sc. *sit villicus ille* (vel rectiùs ὁ οἰκονόμος i. e. dispensator) *iniquitatis, à Domino, cui delatus erat, tandem laudatus* Luc. 16. v. 1. 8. respondurus Hieronymus, post positum totum parabolæ textum, ita tandem applicat: Si, *dispensator iniqui Mammonæ, Domini voce laudatur, quod de re iniquâ sibi justitiam præparavit, & passus dispendia Dominus, laudat Dispensatoris prudentiam, quod adversùs Dominum quidem fraudulenter: sed pro se prudenter egerit: quantò magis Christus, qui nullum damnum sustinere potest, & pronus est ad clementiam, laudabit discipulos suos, si in eos, qui crediturî sibi sunt, misericordes fuerint. Et si iniquitas benè dispensata vertitur in justitiam, quantò magis sermo divinus in quo nulla est iniquitas, qui & Apostolis creditus est, si benè dispensatus fuerit, dispensatores suos levabit in cœlum!* Refert Hieronymus *ad Apostolos, qui si infideles sint in alienis vel carnalibus, multò magis tales futuri sint in spiritualibus & quibus adeo Apostolis, si velint amare Deum, contemnendæ sint pecuniæ.* Allegat pro hac expositione Theophilũ Antiochenum, juxta qvem *dives habens dispensatorem Deus omnipotens est, quo nihil ditius. Hujus dispensator, Paulus, qui cum immanibus illis Christianorum persecutionibus dissiparet omnem substantiam Domini, prout ille dispensator, à Domino correptus, illo vocis tonitru: Saul, Saul quid me persequeris!*

queris! & illo gradu dejectus, cum fodere (mandata legis implere) non valeret, mendicare autē à discipulo Ananiâ & gentibus, salutis ac fidei doctrinam, erubesceret, quod sibi utile esse intelligebat factūrus, cœperit ipse docere legem abolitam, & quæ antea pro lucro fuerant, reputare in stercore. Vocaverit itaq; duos debitores, unum ex orbe *gentium magnâ Dei misericordia indigentium*, debentem sc. 100. batos olei, qvem pro centenario scribere jusserit qvinqvagenariū, & *pœnitentium jubilæum numerum*, alterum repræsentantem *populum Judæorum, tritico mandatorum Dei nutritum*, qvem centenarii debitorem jussit pro 100, scribere 80. i. e. *credere in Domini resurrectione, quæ octavæ diei numero continetur, & de octo completur decadibus, ut* de *Sabbato legis transiret ad primam Sabbati*, ob qvam mutationem de lege ad Evangelium, Paulus Apostolus à Domino sit commendatus, utut antea *dispensator iniquus*, qvippe in Patrem qvidē credens: sed Filium perseqvens: in ipsâ tamē transgressione legis, *filiis quondam lucis*, qvi in legis observatione versati, Christum, qvi Dei Patris verum lumen est, perdiderunt, longè *prudentior* fuerit. Addit tamen Hieron. *Mihi juxta priorem interpretationem hoc videtur, quod de iniquo Mammona debeamus nobis Amicos facere non quoslibet pauperes: sed eos, qui nos possint recipere in æterna tabernacula, ut pro parvis magna, pro alienis, nostra, recipiendo, seminantes in benedictione, metamus benedictionem.* Et cum hoc responso Apodemium consilii causa per tot maris ac terrarum intervalla missum, remisit Hieronymus ad illustrem Algasiam.

§. 4. Apparet facilè, *Scopo Parabolæ* illa Hieronymi sub nomine Theophili expositione ipsiq; sic illustri *Algasiæ*, tanto studio tantoq; sumtu dubii Evangelici solutionem reqvirenti satisfactum neqvaqvam esse. Discipuli illi, qvibus parabola dicta, non fuerunt exclusivè, *Apostoli*: nec οἰκονόμος ille (qvem minùs accuratè Villicum Vulgatus appellat) fuit *unus*,

it *unus*, singularis, sive *Apostolus*, sive *Episcopus*, vel solus s. illorũ, s. horũ qvoq; chorq: nec adeo respectus hîc Parabolæ ad solos illos οἰκονόμους μυστηρίων θεῦ 1. Cor. 4. 1. Licet autem, qvod de *Dispensatore, dissipati crediti reo, delato, citato, rationum postulato*, per ipsam conscientiam malæ dispensationis *convicto*, & inde exautorando, memoratur, amplissimè extendatur, & ex vero, non sine intentione S. Spiritus accommodetur, non tamen opus ad eruendum Parabolæ sensum, sive in uno, sive pluribus suppositis ad scopũ formalẽ Parabolæ id referre: nedũ cetera omnia & singula, e. c. ipsa Oeconomi enthymemata, de *fodiendo, mendicando*, ac ob hæc pericula evitanda, cum *debitoribus Domini* transigendo, sic ut pro *centũ batis olei, scribantur quinquaginta, pro* 100. a. *coris tritici*, 80. nedũ sive ipsos debitores œconomo contradistinctos, sive horum dualem numerum, creditumq; uni *Oleum*, alteri *triticum*, ad ipsam Parabolæ formam trahere, sic ut in omnibus & singulis his exacta danda sit, eaq; correspondens parabolicæ literæ, accommodatio ac proportio, prout fortè & Algasiæ consulenti visum & consulto Hieronymo, ac plus ultra, juxta Hieronymum allegantem, Theophilo.

§. 5. Præmiserat immediatè blandissimus ὁ σωτὴρ, *qui venerat servare, quod perierat* Matth. 18, 11. parabolas de perdita; sed *repertâ*, cum *gaudiis* & plausibus *domesticis, ove, drachmâ*, & ex duobus, *juniore filio*. Explicuerat ipse illarum mysterium de *uno peccatore resipiscente*, unde in cœlis *gaudium Angelorum* Luc. 15, 7. 10. Et illi magni peccatores *resipiscentes, super quibus in cœlo gaudium* majus, qvàm super *nonaginta novem, resipiscentiâ non indigentibus justis*, simul resipiscunt, redduntur qvidem jam regno cælorũ, unde exciderunt, *reportantes mercedem fidei suæ, salutem animarum*, 1. Pet. 1, 9. vel ab ipsâ tamen ultimæ parabolæ de juniore Filio *substantiam patrimonij omnẽ*, sibi à *Patre collatã, prosusissimè vivendo, dissipante*, ac sine ullâ illius accuratè, fideliterq;

fidèliterq; ex consilio cœlesti impendendi, administrandive curâ, *abliguriente* vid. c. 15. 12. 13. 30. occasione datâ, novâ hâc Oeconomi iniqvitatis, cujus sola prudentia, non fraus vel culpa laudatur, parabolâ monentur, ut ex mamonâ *injusto* vel *infido*, velut alieno & soliq hujq seculi bono, in hâc vitâ mortali sibi amicos faciant, atq; ita *fidei*, cum cetera illius catenæ Apostolicæ, tũ φιλαδελφίαν & ἀγάπην *adjiciendo*, *se non inertes nec infructuosos in agnitione Domini nostri Jesu Christi efficiant*, ut *defecti*, solâ remunerantis, & qvod pauperculis confertur, sibi acceptum referentis, *gratiâ*, *recipiantur in æterna tabernacula*, atqve ita ipsis *amplè subministretur introitus in æternum regnum Domini nostri & servatoris Jesu Christi* Luc. 16, 8. 9. 11. 12. 2. Pet. 1. 5. 7. 8. 11. Ad qvam prudentiam charitate pulcherrimè temperatam, ipso *Oeconomi iniquitatis* velut *Filij hujus seculi* exemplo, (usus à minori ad majus argumento) *Filios Lucis* provocare benignissimus Servator voluit.

§. 6. Sed nec apparet, qvomodo sanctitati Parabolæ conveniat sive accommodatio illa prior Hieronymi, sc. *debere Apostolos, ad exemplum illius Oeconomi, in Auditores credentes, misericorditer agere*, sive altera illa ejusdem Theophili in breviculo Commentariorum: *prout villicus ille vel Oeconomus injustitiæ, Domino suo fraudem fecit, ut haberet postea, unde viveret: ita Episcopos non omnia peccata ulcisci debere: sed locum pœnitentiæ reservare, cum præsertim Dominus ipse dixerit, se nolle mortem morientis: sed ut convertatur à viâ suâ & vivat. Quin idcircò laudatum à Domino Jesu fraudatorẽ Domini sui, ut Episcopi ejus sequentes exemplum non omnia debita morosè exigant.* Licet enim, prout ubiq; *triste rigor nimius*: ita ipsum qvoqve exercitium clavis, regnum cœlorum peccatori claudentis, s. potestatis ligantis, prudenter ipsaq; charitate sit temperandum (qvomodo & Paulus ipse excommunicatum incestuo-

ceſtuoſum, *ne abundante triſtitiâ abſorberetur, & à Satanâ ſuperaretur*, in communionem Eccleſiæ, unde, *Satanæ traditus*, erat excluſus, blandè recipi voluit 2. Cor. 2. 4. 7. 8. 10. & antiqvitas Eccleſiaſtica circa ipſos publicos animadverſionis gradus, qvos appellabant (1) προσκλαυσιν (2) ἀκροασιν (3) ὑποπτωσιν (4) σύστασιν, & horum qvoq; tempus, & rigorē (æpè diſpenſavit) utcumq; ex verè pœnitentium maturâ abſolutione nullum miſericordi Domino damnum, illa tamen abſolutio Eccleſiaſtica DOMINO probata, & prout damno, ita qvoq; dolo deſtituta, malè comparatur, cum illâ remiſſione debiti ſ. novatione qvâ in fraudem Domini pro 100. batis, vel coris ſcribebantur 50. vel 80. & ſic non totum debitum: ſed hujus ſaltem pars, nec ſine ſcelere, ab *iniquo Oeconomo* remittitur, ſic ut & Domino furti manifeſtus inde fiat Oeconomus, & ipſe tamen debitor, maneat, ſive qvinqvagenæ bati, ſive octogenæ Cori reus, & Domino æqvè ac ante remiſſionem obligatus, qvæ & alia oſtendunt à Theoph. & Hier. aberratum à ſcopo.

§. 7. Miſſo igitur illo *Oeconomi iniquitatis* interpretamento, Hieronymo tanti æſtimato, ut præteritis ceteris Patribus commentatoribus ex ſolo Theophilo Algaſiæ ſenſum Parabolæ transſcriberet, ad poſitionem noſtrā primam ex pluribus pauca qvædam exempla, non ſine Theologicâ ἐπιχείρησι proponimus, qvale qvod ad Matth. c. 1. 1. rationē ediſſerit *ob quā Chriſtus priùs Filius David*, qvàm Abrahami appelletur, licet ordine ſucceſſionis David Abrahamo poſterior? Scilicet, factum illud *propter Principatum ſtemmatis Chriſti, & clariſſimum Davidis regnum* & in hoc Meſſiæ thronum; cum Abrahamus communis fuerit pater credentium.

§. 8. Ita *ad qvæſt. Cur Chriſtus naſci voluerit ex deſponſatâ?* Reſpondet, factum id (1) uti per genealogiam Joſeph, velut *juſti* non extra tribum familiamq; ducturi, conf. Num. 36, 7. 8. 9. tantò fortius

tò fortius ostenderetur *origo Mariæ*, & non minùs Maria, qvàm Joseph intelligeretur *esse ex domo & familiâ David* conf. Luc. 1, 17. c. 2. 4. Et propterea, licet Joseph non fuerit Pater Domini Salvatoris, *generationis tamen ejus ordinem deductum usque ad Joseph*, qvia sc. præterqvam qvod insolens scripturæ genealogias femininas describere, Joseph & Maria ex unâ tribu, qvam adeo ut propinqvam Joseph ducere tenebatur, unde & simùl in Bethlehē censentur, qvia de una stirpe (2) uti *fugiens cum infante JESU in Ægyptum, haberet solatium Viri*. Addit duas alias rationes: sc. *ne lapidaretur velut adultera à Judæis*, & uti *Diabolum falleret opinantem Jesum ex uxoratâ, non Virgine natum*. Scilicet, licet Maria simul Josepho εὑρεθῆ ἐν γαστρὶ ἔχουσα s. *compertа gravida*, eidem qvoqve εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου s. *comperta sit ex Spiritu S. gravida*, unde Matth. 1. 18. 20. copulatur utrumq; velut simul compertū, qvo sensu rectè notatum M. Basil. in nat. Dom. Ἀμφότερα εὗρεν ὁ Ἰωσὴφ καὶ τὴν κύησιν, καὶ τὴν αἰτίαν, ὅτι ἐκ πνεύματός ἁγίου, & inde Joseph, qvippe justus, illam traducere palam noluerit, qvod & justè non potuit, latente tamen illa conceptionis mysterio, Judæi, qvi non erant δίκαιοι prout Joseph potuissent illam παραδειγματίσαι, & qvi ipsum Dominum aliqvoties *lapidaturi* erant, in Mariam qvoqve lapides loqvi poterant Joh. 8, 59. c. 10. 31. 32. 33. Qvartum committimus. Cognitio Diabolorum, utut in naturalibus insignis: in supernaturalibus tamen mysteriis, ipso inprimis tempore || σκηνώσεως s. *visibilis Jesu inter homines commorationis* & durante statu κενώσεως, conjuncta fuit cum magnâ mixturâ erroris & dubitationis, non obstante illâ cognitionis jactantiâ à Servatore repulsâ Marci 1, 24. 25. Luc. 4. 34. conf. Matth. c. 4. 3. 6. 8.

§. 8. Principium ipsum illarum Commentationum, ubi Evangelistas 4. in 4. illis Ezech. & Apocalyps. animalibus, Matthæum in *Homine*, Marcum in *Leone*, Lucam in *bove*, Johannem in *Aquilâ*

in *Aquilâ repræsentat* his verbis: *Quatuor Evangelia 4. animalibus figurata Jesum Christum demonstrant. Matthæus enim Salvatorem nostrum natum passumq; HOMINI comparavit: Marcus LEONIS gerens figuram à solitudine incipit dicens: Vox clamantis in deserto! Johannes habet similitudinem AQVILÆ, quod ab imis alta petierit clamans: In principio erat verbum. Lucas à sacrificio exorsus VITULI speciem gestat, ad cujus instar Salvator noster est immolatus,* usqve adeo seqventibus Patribus placuit, ut non alio familiari magis emblemate qvàm illo ex Ezech. c. 1. 10. & Apoc. 4. 7. ἀλληγορουμένῳ illum qvaternarium Evangelistarum repræsentarint conf. Hieron. præf. in Matth. & 1. Ezech. August. l. 1. de cons. c. 6. Gregor. M. hom. 4. in Ezechielem: unde & horum ipsorum Commentariolorum constat antiqvitas.

§. 9. Sic per φυλακὴν s. *carcerem illum*, unde non detur *egressus, nisi post solutum novissimum quadrantem*, non sive *gehennam & purgatorium* (prout Albertus & Cajetanus exponunt, ut sensus sit: *Si debitum erit insolubile, nunquam exibis: si erit solubile, exibis, ubi totum exactè solveris*) non *Purgatorium solùm*, prout Bellarminus & alii Pontificii vid. Bell. l. 1. de purgat. c. 6. sed *infernum damnatorum saltim s. gehennam* intellexit conf. Matth. 5. 25. Luc. 12, 58. 59. (qvicqvid sit de utriusq; loci parallelismo, de qvo conf. Bell. l. alleg.)

§. 10. Neqve aliter, ipso Bellarmino confessore, Augustinus, pro nobis hic pronuncians: Augustinus, verba sunt Bellarm. *putat hic agi de pœnis æternis gehennæ, & ideo dicit* illud: *Donec reddas, non significare certum tempus: sed æternitatem, sicut cum dicitur* Matth. 1. ult. *Non cognovit, donec peperit*, resolvere haut licet: E. postqvam Maria Jesum peperit, Joseph eam cognovit, vel Ps. 109 (110.) *sede à dextris meis donec ponam.* E. postea non sedit conf. 1. Cor. 15, 25. Facit adeo non Theophilus saltim Antiochenus ex seculo 2. sed & Augustinus pro nostrâ Catholicorum

tholicorum sententia, contra Pontificios. Scilicet, aut intelligitur judicium humanũ, in hâc vitâ (prout explicuit Chrysostomus) & sic nihil hîc pro Purgatorio: aut judicium divinum post hanc vitam, & sic ad pœnas æternas gehennæ (qvâ non nisi infernum damnatorum intellexerunt) rectè refertur ab Augustino, &, ante hunc, Theophilo, ipseq́; novissimus qvadrans non consideratur qvantitativè in sui exiguitate: sed relativè, qvatenus pars est magni illius debiti, propter qvod ille meruit carcerem. Qvin Bellarmino fidenter asserenti: *Omnium verissima est sententia, quæ explicat de solo Purgatorio*, opponimus Confessorem pro nobis contra Pontificios alios, Pontificium primarium Corn. Jansenium Gandavensem Episcopum. Ita ille in Concord. *per DONEC non significatur debitum aliquando persolvendum, & tunc debitorem liberandum:* sed *locutione convenienti significatur extremum jus & debitum ab eo requirendum, nec priùs è carcere liberandum, quàm omne debitum persolverit. Semper autem manet damnatorum debitum, nec unquam ab eis exsolvi potest, semper ergo necesse est maneant in carcere, æternum solventes supplicium.*

§. 11. Eqvidem, ne Tridentinos, qvorum ipse pars magna fuerat, offenderet, occupavit portum & consulere sibi temperamento voluit sc. *Quamvis Salvator istis locis videatur MAXIME significare voluisse pœnam ÆTERNAM persolvendam, non tamen necessariò solùm intelligitur hæc significata: sed, ut dictum est, significatur, non priùs aliquem è carcere liberandum, quàm omne debitum persolverit, & debiti* solutionem *coævam esse tempori incarcerationis. Si ergò debiti solutio nunquam finiatur, ut sit in his, qui cum mortali peccato decedunt, non reconciliati fratri læso, saltem in animo & proposito satisfaciendi illi, in perpetuum detinebuntur in carcere inferni, significatq́; tunc dictio DONEC, tempus æternum. Si verò debiti solutio talis sit, ut finiri possit, ut sit in his qui veniali tantùm peccato fratrem offenderunt, nec dum ei reconciliati*

conciliati, è carcere purgatorij liberabuntur debito persoluto, significatq; tunc DONEC tempus finitum. Ceterùm idem vocabulũ φυλακη in eodẽ loco & infernũ damnatorũ, & purgatorium salvandorũ eandemq; particulam DONEC & infinitum & finitũ tempus notare, implicat contradictionẽ. Qvin qvæ in gratiam Tridentinorũ scripserat, non ex mente scripta Jansenio, declarat luculenta illius in h. l. Confessio, qvâ iugulat causam Pontificiorum aliorum. *Non rectè quis ex hoc loco, nec ex alterâ parabolâ de servo, posŧ remissum debitum X. talentorum, exigente à conservo debitum paucorum denariorum* Matth. 18. 34. *urgere potesŧ Purgatorij probationem.* Apparet adeò, qvoad hanc qvidem causam Catholica expositio Theophili, per carcerem illum, unde non exitur ante solutum novissimum qvadrantem, Gehennam intelligentis: & tamen ne tam luculenta pro nobis militet lectio, subvenire suis voluit censor Tridentinus, & in margine apponere hæc verba: *Gehennam*, qvâ *exitur*, *purgatorium appellamus.* Ac si sc. duplex detur vel hoc qvoqve loco intelligatur *Gehenna*, una, *quâ exitur aliquando*, alterâ *quâ nunquam*, & dum h. l. dicitur: *Non exibis inde donec persolveris*, hoc ipso significetur φυλακὴν qvandam s. *carcerem infernalem*, dari, unde exeatur, qvæ merè adulterina Censoris appositio est, & turpiter principium petit.

§. 12. Ita cum aliqvoties *oculi & manus dextræ scandalizantis*, illius *eruendi*, hujus *abscindendæ*, utriusq; *projiciendi*, mentio fiat Matt. c. 5. 29. 30. c. 18. 8. 9. in Commentariis his sub nomine Theophili, explicantur illa de *Charissimorum*, & ceteroqvi luce magis dilectorum nobis *Parentum*, *uxoris*, *fratrum*, *sororum*, *liberorum ceterorumq; cognatorum & affinium in nos affectu*, *qui si nobis hic in viâ ad patriam cœlestem & veram lucem impedimento sit*, *habendus fuerit velut portio corporis truncanda* velense recidenda, ne pars sincera trahatur. Secuti autorem commentariolorum in hâc expositione Patres ceteri, qvomodo ex

Græcis

Græcis Chrysostomus: Οὐ περὶ μελῶν ὁ λόγος ἀλλὰ περὶ τῶν οἰκείων καὶ ἡμᾶς ἐχόντων sc. *non de membris corporis illud intelligendum: sed de domesticis & dilectissimis, ut sensus sit:* ἂν ἴνα ἀτῷ φίλης ὡς δεξιὸν ὀφθαλμὸν, ἢ ὡς δεξιὰν χρήσιμον νομίσῃς, καὶ βλάπτει σε τὴν ψυχὴν καὶ τοῦτον ἀπόπεμψε: i. e. *si aliquem sic ut oculum dextrum diligas, vel velut dextram, tibi utilem censeas, si tamen animæ tuæ damnum inde suboriatur, etiam illum semove:* qvin ut id ostendatur, non dici: Ἀπόλυσον s. *dimitte, vel discede: sed erue, projice!* Excutit Chrysost. simul dubium de oculo *uno, an quis uno possit scandalizari, ut non patiatur alter?* Et respondet simili, ex hypothesi alterutrius necessarii, uti sc. qvis vel ambobus oculis in foveam ruat, & sic pereat: vel, eruto uno reliqvum corpus salvet? Conf. qvoqve Epist. Hieron. de vit. susp. cont. tom. 1. p. 294. & seqq. Secutus Augustinus, juxta qvem in *Oculo dextro*, summa dilectio, in *dextra manu*, operatio, per utrumq; adeo *dilectissimus noster amicus*, etsi in divinis, ceteroqvi noster vel *Oculus*, s. Consiliarius vel *Antecessor*, & in agendis sacris *Coadiutor* fuerit, si scandalizet nos, eruendus sit. Conf. Chrys. hom. in h. l. & Aug. expos. serm. Dom. in monte.

§. 12. Sic Matth. 7. 6. præterqvam qvod legit: *Nolite Sanctum panem dare canibus*, (qvo sensu τὸ ἅγιον ad certam *sacri* speciem limitaretur, qvod ceteroqvi sub illo generico continetur) *canes & porcos* ita distinguit, ut, per illos intelligantur ἐκκαίως post *pœnitentiam peccantes:* per hos, *infideles*, s. in *incredulitatis luto sese adhuc volventes*, ut adeò, prout illis, non dandum sacrum s. τὸ ἅγιον: ita nec ante hos projiciendi sint οἱ μαργαρῖται, vel margaritæ cœlestes, s. prout loqvitur, *Mystica fidei sacramenta*. Paulò aliter Chrysostomus, ita in illo Servatoris sermone distinguit *Canes & porcos*, ut intelligat per Canes, τὰς ἐν ἀσεβείᾳ ζῶντας ἀνιάτως & per χοίρους s. porcos τὰς ἐν ἀκολάστῳ βίῳ διατρίβοντας διὰ πίστεως, qvales sanè, qvem Deum profitentur ore, abnegant opere, ipsis infidelibus potiùs, qvàm credentium, numeris accensendi, &

di, & terribilius illis supplicium experturi. Contradistinguuntur illis Canibus & porcis, *Lupi rapaces*, utut externo simulacro vestis, *oves*. v. 16. à qvibus non magis salutares doctrinas expectare liceat, qvàm à spinis & tribulis uvas & ficus. Chrysostomus non de *hæreticis*, vel *hæresi*: sed *vitâ intus corruptissimis*, etsi προσωπεῖον τῆς ἀρετῆς habentibus, intellexit. Rectè Theophilus de *hæreticis* & *hæresibus*, de qvibus *justitiæ fructum nemo colligere*, & qvorum hæreticorum nemo pro fide Christianâ Martyr esse possit, magis, qvàm de spinis & tribulis *uvas vel ficus*.

§. 13. Ita Matthæi c. 7. 24. per Petram, cui superædificata domus, CHRISTUM, qvi est *veritas*, per *domum super Petra, vitam præsentem innixam Deo* & per *arenam*, cui stultus Architectus domum imponit, *hæresin*, s. falsam de Christo doctrinam, intelligit, cui qvicqvid superstruitur, ad illam βόχην s. *procellosos illos nimbos irruentes*, gravioro casu corruat, unde illa πτῶσις μεγάλη, vid. v. 27. Agnoscit rectè per PETRAM, cui vita præsens Ecclesiæ militantis superstructa, CHRISTUM intelligi: neqve aliter Patres Catholici, ubi ex professo causam egerunt, de illâ Petrâ, super qvam ædificata Ecclesia Matth. 16. 18. senserunt, qvomodo Augustinus tom. 10. serm. 36. ad h. l. ita μεταφράζει verba Servatoris: *Tu es Petrus, & super hanc Petram, quam confessus es, dicens: Tu es Christus filij Dei viventis, & adeò super MEIPSUM, FILIUM DEI VIVI, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super Te.* Ita antiqvior Origenes: *Petra illa spiritualis, est Christus, à quo omnes imitatores Christi sunt Petri. Si super unum Petrum*, inqvit, *opinaris fundatam Ecclesiam, quid dices de Johanne Filio tonitru & unoquoq; ceterorum Apostolorum?* Allegat Origenes velut absurdum consecuturum πάθος: Adversùs unum *& solum Petrum non prævalituras portas inferni: adversùs omnes alios Apostolos prævalituras*. Qvin seqvioribus seculis ipse Adrianus Pontifex ex Cathedrâ contra Elipandū & Christū adoptivū Catholicè pronuncians in Epistolâ ad Episcopos Gal-

pos Galliciæ & Hiſpaniæ, ex h. l. commate 16. opponens, addit ad v. 18. *Super hanc Petram, QVAM CONFESSUS ES, & à quâ nominis Petri ſortitus es dignitatem, ſuper hanc, inquam, ſoliditatem fidei, ædificabo Eccleſiam meam.* Atq; hæc ipſa noſtra verè adeo Catholicorum fides eſt.

§. 14. Ita Matth. 9. 17. per *Vinum novum* intelligit *Sacramentum N. T.* per *utres veteres*, Judæos, per *pannum veterem*, hominem veterem, per *indumentum novum*, novum hominem, ut in pudorem dentur, qvi per ἐπίβλημα ῥακὸς ἀγνάφου intelligunt, *præcepta nova Evangelica, quorum unum de jejunio*, de *abſtinentiâ à certis cibis & vitâ auſteriore*, qvæ ſc. talia ſint, *ut nondum conveniant Apoſtolis ante adventum Spiritus S.* velut utribus, & veſtimentis obſoletis, qvod Bellarmini acatholicum planè interpretamentum eſt vid. Bell. l. 2. de B. oper. in part. c. 8.

§. 15. Pulcherrimè Autor idem ad characterem illum tolerantiæ & erectionis infirmorum Matth. 12, 20. *Qui peccatori*, inqvit, *non porrigit manum, nec portat onus fratris, iſte arundinem quaſſatam confringit, & qui modicam fidei ſcintillam in parvulis contemnerit, hic lignũ fumigans extinguit, quorum neutrum fecit Chriſtus: ad hoc quippe venerat, ut ſalvum faceret, quod perierat.* Ibid. ad v. 29. *Fortis*, inqvit, *erat præterito tempore Satanas, qui omne genus hominum in hoc mundo, velut propria vaſa poſſidebat: ſed veniens fortior eo Filius Dei, victo illo, paſſione ſuâ erũit nos à poteſtate ipſius, & fecit nos vaſa ſua, dans nobis Spiritum S. etſi hunc theſaurum in vaſis fictilibus, ut Apoſtolus dixit.* 2. Cor. 5. 7. *portamus.* Ita Matth. 14, 17. *allegoricè per 5. panes, Pentateuchum, per duos piſces, duo Teſtamenta dicit intelligi, quibus Chriſtus ſpiritualiter animas paſcat.*

§. 16. Ad qvæſtionem ſanè, qvomodo *Latronis anima cum animâ Chriſti fuerit in Paradiſo?* Luc. 23. 43. cum *Chriſti ſecundum hominem corpus tunc in ſepulcro, anima verò fuerit in inferno?* ſciendum eſt, inqvit, *quod hanc promiſſionem ſecundùm affectum*

divinæ potestatis implevit, quia ubiq; esse Deus credendus est, & ubi est Deus, illic & vita, atque amœnitas æterna. Eqvidem qvo loco habenda hypothesis de animæ Christi separatæ descensu ad inferos, alibi docetur. Si ad judicium Lutheri ex concione Torgensi a 1533. causa omnis revocanda, & inde Form. Concord. de *Christo post sepulturam verè & realiter ad inferos descendente* explicanda, sanè pro descensu, in triduo mortis, ante ζωοποίησιν pronunciandum fuerit. Ita enim Luth. Ehe Er aufferstanden/ und noch im Grabe lag/ ist er hinunter zur Hölle gefahrē. De modo addit: wie Christus der Mensch im Grabe liegt/ und doch zur Höllen fähret/ daß müssen wir wohl unergründet und unverstanden lassen. In illo sanè Autor haut erravit, qvod maluerit ad naturam divinam Christi, præsentiam illam Christi cum Latrone in Paradiso referre, qvàm *Paradisum* apud Inferos dare: qvomodo & Augustinus Epist. 99. ad Evodium vehementer id egit, ne *sinus Abrahami*, & *Paradisus*, in qvo eodem die Christus adfuerit Latroni, velut *uterq; locus memorabilis & secretæ quietis*, statuatur apud inferos, & ep. 57. ad illustrem Dardanum, cum sibi ipsi objecisset illud MECUM: sc. *si illud de perfecto* θεανθρώπῳ, *E. Paradisus non existimandus est esse in cœlo. Nec enim illo ipso die in cœlo futurus erat homo Christus Jesus: sed in inferno secundùm animam, in sepulcro autem secundum carnem*, E. vel illud dictum, de Christo, ut *homine*, & *Paradisus* intelligendus de *inferno*, ubi *erat eo die futurus Christus secundum humanam animam*, & sic, qvia utraq; regio & dolentium (e. c. divitis illius Luc. 16, 23.) *& requiescentium* (e. c. animæ Lazari) in *inferno esse credenda est*, nec dicere licet *Dominum Jesum ad pœnales inferni partes tantummodo venisse, apud eos autem, qui in Abrahami sinu requieverant, non fuisse*, ille ipse *sinus Abrahami* intelligendus fuerit *Paradisus* ille, qvē *illo die polliceri dignatus est Latronis animæ*, vel, inqvit, *qui sensus multò expeditior est, dictum id Latroni accipiendum secundum id quod Christus Deus est. Homo quippe Christus secundùm carnem in sepulcro,*

pulcro, secundùm animam futurus erat in inferno? Deus verò idem ipse Christus ubiq; semper est, & qui nunquam de Paradiso recessit. Secutus adeo Augustinus hic est Theophilum.

§. 17. Sic ad qvæstionem: qvomodo *die tertio* resurrexit Christus à mortuis? respondet dupliciter (1) πυχθήμερον s. diem Judæis à vesperâ incipere, cumq; *primo die azymorum, facto vespere Christus à Judâ sit traditus, primus Parasceves, passionis Dominicæ intelligendus est dies. Secundus, Sabbati. Tertius is, qui à resurrectione Domini dominicus appellatur, & primus est Sabbati:* addit, & rectè, per ὀψὲ σαββάτων Matth. 28. 1. intelligendum tempus nocturnum post Sabbatum jam exactum, ut ὀψὲ idem fit qvod *serò vel tardè:* qvia sc. addatur τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων s. *die illucescente in primam Sabbati,* qvod intelligendum de *Dominici diei diluculo.* (2) Vel, ut *tenebræ illæ, quæ per trihorium sunt factæ die Parasceves, quo dimisit Spiritum, accipiantur pro nocte, quibus tenebris finitis reddita lux mundo, prima sit accipienda dies Dominicæ passionis: secunda, verò, sequens nox, dies q; Sabbati: tertia verò, sequens Sabbatum, nox, & ipsum mane s. diluculum, quo diluculo surrexerit Dominus noster.* Marci 16, 9. Rectè Commentariorum horum vetustorum Autor *diluculum,* resurrectioni dominicæ assignat, clarissimè tempus illud designante Marco l. alleg. ἀναστὰς ὁ Ἰησοῦς πρωΐ i. e. *cum resurrexisset Jesus diluculo, primo ille die Sabbati* s. hebdomadis: seqvitur nunc: ἐφάνη πρώτῃ s. *primò apparuit Mariæ Magdalenæ,* ut impudenter Maldonatus illud ἀναστὰς non de *resurrectione*: sed *surrectione ad apparendum,* & adeò πρωΐ illud s. *diluculum,* non de *tempore resurrectionis*: sed *primæ apparitionis,* ac illud πρώτῃ, non de *primitate apparitionum absolutâ*: sed solùm *comparativâ* s. *respectivâ,* sc. respectu *masculinarum,* qvas omnes antecesserit: non respectu *femininarum,* qvas inter prima Mariæ Matri τῇ θεοτόκῳ contigerit, explicare in Commentariis ausus fuerit: *Primùm,* inqvit, *Matri suæ apparuisse non quod Evangelistæ id factum dicant: sed quod ita fieri decuerit credendum est.*

§. 18. Ita Commentariorum l. 2. ad Marci l. 2. ubi Johannes Baptista appellatur *Angelus Dei*, notat & affert locum Genes. 6. 2. ubi legatur: *Videntes Angeli Dei filias hominum, quod speciosæ essent, sumserunt sibi uxores*, & addit: *Angelos istos Dei intelligimus homines sanctos lapsos in peccatum.* Notum, qvàm hic non in fermento solùm: sed & luto fœdissimo indignissimoq; purissimarum mentium Angelicarum excellentiâ interpretamento, de amoribus Egregororum, & impuro Angelorum cum mulieribus concubitu, tot ac tanti scriptores & Patres vetustiores sacrarum literarum tractatores fuerint, adeò ut Benedictus Pererius in h. l. disp. 9. exclamaverit: *Pudet dicere, quæ de optimis Scriptoribus hoc loco dicturus sum, adeò sunt non solùm falsa: sed & pudenda & absurda: dicere tamen cogit veritas, ne fortasse cuipiam propter eorum Virorum autoritatem probabile videatur, quod nullo modo probandum est. Fuit multorum antiquitatis, doctrinæ, & sanctitatis laude præstantium Virorum sententia, Filios Dei, quos Moses narrat, mixtos esse cum filiabus hominum, fuisse bonos Angelos, qui feminarum pulchritudine capti ad obscoenum earum amorem & concubitum delapsi sint.* Imposuit autem Patribus & tractatoribus illis, Græca inprimis translatio, qvæ, qvod in Mose legitur *de Filiis Elohim* s. Dei, expressum habet: *Angelos Dei* (qvomodo & hic Theophilus Antiochenus, vel qvisqvis horum Commentariorum Autor fuit, legerit) nec solùm hoc loco: sed & in Jobo e. c. cap. 2, 1. qvod in fontibus est *venerunt Filij Dei* & c. 38, 1. cum *jubilarent omnes Filij Dei*, Græca translatio habet: ἦλθον οἱ Ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, &: ἤνεσαν φωνῇ μεγάλῃ πάντες Ἄγγελοι Θεοῦ, qvæ translatio diversi erroris in Patribus fuit occasio, sc. qvibusdam, ut statuerent, in hoc loco Mosaico intelligi *Spiritus Angelicos* & horum per impuras flammas, lapsum: Chrysostomo autem, ut *negaret Spiritus Angelicos, ullibi in scripturis dici Dei Filios*, qvo velut primario argumento probare conatur, hic non intelligi Spiritus Angelicos. Contrà, Autor horum

horum commentariorum versionem illam qvidem admisit & *Filios Dei* dici posse *Angelos Dei*, ac contrà, non impugnavit: ceterùm, per filios Dei hoc loco *Angelicos Spiritus*, qvi sc. ἰδικῶς s. specificè Angeli dicuntur, intelligendos, non obstante Græcæ translationis literâ, pernegavit. Conf. Sixtus Senensis in Bibl. S. l. 5. annot. 70. 71. 72. 73. 77

§. 19. Sic ad locum Matth. 21. 18. addit allegoriam: *Per asinum*, intelligendam *Synagogam*, per *pullum asinæ*, indomitum *populum gentilem*, ad qvem *duos ex discipulis* miserit, *Petrum ad circumcisionem*, *Paulum in gentes* Galat. 2. 7. *Vestem illam* superstratam pullo, esse *Vestem Apostolicam* s. *scripturarum divinarum expositionem*, *quarum cœlesti doctrina nisi fuerit instructa anima*, *sessorem habere Deum non mereatur*. Vid. Comment. 1. Ita in Comment. 2. *Tres*, inqvit, *mortui à Salvatore sunt resuscitati* (1) *Filia Archisynagogi*, *intra domesticos parietes resuscitata* Matth. 9. 18. (2) *Juvenis defunctus jam domo elatus: sed nondum sepultus* Luc. 7. 12. 14. (3) *Lazarus jam in monumento quatriduanus*, *& fœtens*, ad qvem Jesus *infremuit Spiritu*. Joh. 11, 33. 38. 39. Per qvos *tres mortuos tria genera peccantium indicantur*, sc. per 1. *meditantium quidem in cordibus suis delictum*: sed *quia revocantur inspiratione divinâ*, non perpetrantium, ut adeò *intra domesticos mentis parietes* maneat peccatum: per 2. *committentium* qvidem, sed mox *per compunctionem peccare desistentium*. Per 3. inductâ *jam consuetudine peccandi*, *horribilium*, *quos Servator objurgans & fremens Spiritu minis terroribus & pœnarum â necessitatibus eripiat delictorum*.

§. 20. Ita in Comm. 3. dictum illud Servatoris Matth. 15, 24. *Non veni*, *nisi ad oves perditas domus Israel*, pulchrè conciliat, unâ voce exegeticâ: *prius*: intelligendum sc. illud de officio Christi Prophetico & missione illâ priori nationali, cujus respectu & Christus circumcisionis Diaconus non fuit missus, nec aliò Apostolos misit, nisi ad Israelitas, qvin in vias gentium &

urbes Samaritanorum ire interdixit conf. Matth. 10. 5. 6. 10. non de missione illâ Apostolorum posteriori & universali in universum mundum, ad Evangelium omni creaturæ prædicandum Marci 16, 15. etsi in hâc qvoqve manebat illud *priùs*, qvod hic Autor notavit. Ita enim Servator jussit *prædicare in omnibus gentibus pœnitentiam & remissionem peccatorum*, ut tamen hîc *priùs*, qvoqve prædicaretur *Judæis* & inter hos *Hierosolymitanis*, Luc. 24. 47. & deinde *gentibus*, unde illud Pauli παῤῥησιαστικῶς ad Judæos dictum in Act. c. 13. 46. *Vobis erat necesse primò prædicari sermonem hunc Dei: postquam verò vos rejicitis illum, & vos ipsos decernitis indignos vitâ æternâ, ecce! convertimur ad gentes:* & pro hoc ordine suæ missionis & præconii legitimando, addit v. 47. *Sic enim præcepit Dominus.* Sed satis de membro superioris instituti nostri (vid. §. 2.) primo. Procedimus ad 2. & 3.

§. 24. Solet aliàs objici, qvod constet *Autorem propensum fuisse in partes Arianorum.* Ceterùm nihil horum adeò apparet ex his Commentariis. Dantur potiùs, qvæ hæresin Arianam planè interficiunt. Tale qvid est qvod habetur in Comm. 3. ad locum Joh. 3. 13. *Quomodo Filius hominis eodem tempore, quo locutus est cum Nicodemo in terris, fuerit in cœlis?* respondet: *sciendum quod secundùm carnem in terrâ erat, secundùm deitatem in cœlo: ideò & ipse adscendit, qui descendit, quia licet homo factus sit, non tamen Deus esse destitit: idem est ergo Homo, & Deus i. e. Christus una persona est: & utiq; cum ille sit caput, sancti autem sint membra ejus, necesse est, ut sequantur membra ejus, quò caput præcessit, ut in cœlo sit corporis Christi plenitudo,* & ad illud Joh. 3. 34. *Illud*, inqvit, *non ex mensura dat Deus Spiritum de Filio propriè intelligendum est, in quo plenitudo divinitatis. Nam homines secundùm mensuram accipiunt gratiam S. Spiritus.* Qvod *Filium Dei nescivisse*, dicit, *diem extremi judicii, ipsa Servatoris vox est*, Marci 13. 36. Matth. 24. 36. Et tamen Catholicè illa explicuit Commentator vetustus: *Diem*, inqvit, *illum & horam illam, Deus*

se tan-

se tantùm scire, hominem autem non scire voluit, unde nec Filium dicit scire, ut improbitatem humanam in judicij divini curiosâ inquisitione confunderet, cum Filium hominis hoc nescire dixisset. Ceterùm Filius Dei, qui Deus est, hoc ignorare non poterat, quia dixit: Omnia Patris mea sunt. Si ergo natura Patris in Filio erat, scientiæ natura degenerare non poterat. Ergo divinitas una Patris & Filij diem & horam noverat, quam creavit: non poterat autem nosse humana fragilitas, quod utiliter ignoravit.

§. 23. Ita ad dictum Servatoris ad Matrem in nuptiis Canæ, Joh. 2, 4. commentatur: *Christus*, inqvit, *& Deus erat de Deo natus* (ita non loqvitur Arianus!) faciens miracula, *& homo de matre natus, tractans humana. Quia ergo nunc mysterium operaturus erat, aquam in vinum mutando, nihil commune se habere dicit cum Matre: i. e. nihil humani: sed divini operis aliquid ait, se esse facturum.* Qvin jugulat Arianismum & Autorem, ab omni Syncretismo Arianismi liberat expositio loci Johannis c. 14. 28. *Pater major me est.* Opponit Autor locum Joh. 10. 30. & *quomodo*, inqvit, *alibi ait Jesus: Ego & Pater unum sumus?* Sciendum est, inqvit, *quod Christus Dominus noster verus est Deus de Patre Deo, & verus est homo de matre homine. Secundùm hominem minor est Patre. Secundùm Deum, unum cum Patre:* & sic alia qvoqve loca apparenter contraria conciliat, ut e. c. *quædam sonent Christi ut Dei cum Patre æqualitatem, quædam humanitatis humilitatem.* Hæc sanè fides, est verè Catholica.

§. 23. Non allegabimus nunc appositum à Theophilo ad Autolycum qvoqve in Patriarchis postdiluvianis *Cainanem* qvia pro hoc ipse Lucas, agnoscens, *ascendendo*, Christum Filium Σαλὰ, Καϊνὰν, Ἀρφαξὰδ & pro illâ in Lucâ c. 3. 35. 36. lectione, Theophilus militare videri poterat. Nec tam crux *Cainan* in Lucâ, qvam idem nomen cum 130. annis genealogiæ & Chronologiæ insertum in Græcâ ψευδωνύμως τῶν LXX. & Theophilo. Debetur illud supplementum chronologicum Græcis, sive ex his, solo tamen & sine numeris, nomine *Caananem* Lucas (ex

Græcorum versione, putativè, & qvia in illâ talis *existimabatur*, ac adeò sub superiori limitatione, ὡς ἐνόμιζεθ, prout Josephum qvoqve v. 23.) admiserit, sive unus ille Kainan antediluvianus inter *Enoschum & Mahalaleelem* medius, ex v. 37. in ipsis antiqvioribus Lucæ Codicibus, occasionem scribis in v. 36. inter *Arphaxad* qvoqve & *Sala*, ejusdem nominis *Kainanem* inserendi, suppeditaverit (qvem & in Codd. Lucæ manuscriptis antiqvis ac ipsis non solùm Hebræis: sed & Græcorum τῶν LXX. voluminibus, Josepho qvoqve semper abfuisse, ac inde ab Epiphanio alicubi, Hieronymo, qvin à Beza in translatione Lucæ prætermissum esse constat) sive alio arcano qvidem S. Spiritus judicio ab ipso Lucâ appositus fuerit, qvod nunc ex professo inqvirere, ac decidere nolumus. Proscribimus tamen illorum sententiam, qvi ex Græcâ versione vel ipso qvoqve Josepho, aliqvando in Genealogiâ & Chronologiâ labefactare conantur fontium Mosaicorum autoritatem, adeo ut incogitantiâ librariorum omissum in Hebraicis Codd. *Kaananem* defendere conati fuerint, prout Isaacus Vossius. Conf. in Isag. Chronol. Is. Gerh. Vossius, & in Parallelis ad h. l. Junius.

§. 24. Excludit illos annos Cainanis γενεαλογημένης in Mose, incomparabilis consonantia & catena genealogica, in Chronicorum qvoqve libro 1. c. 1. repetita, ubi non solùm commate 18. *Arphacsad*, immediatè dicitur *genuisse Sala* Patrem Eber: sed & peculiari tmemate 24. in genealogiâ descendente copulantur: Sem, Arphachsad, Sala, sine mentione Kainan: neqve sine causa illos tres immediatè γενεαλογημένους bis sine mediante novo nomine vel supposito designavit scriptor θεόπνευς, qvicqvid sit de ratione Raschii: למעלה מנה בניו של שם ועתה התחיל שוב פעם אחרת מפני כבודו של אברהם i. e. *supra recensuit Autor libri, filios Semi: nunc autem denuo in honorem Abrahami ex Semo nati illos tres repetit.* Sanè ne qvis interponere deinceps in fonte ausit, Masora qvoqve ad illum locum prohihibuit,

hibuit, unum sc. illum numerans ex duobus versibus Biblicis, in qvibus singulæ voces habeant literam ש, qvâ cum destituatur *Kainan* s. קינן, nullus tanto, utcumq́; à Lucâ appositus foret, nomini locus in illâ Genealogia Chronicorum Mosaicâ, ut rectè agnitum à summi nominis, ingenii, & in his literis judicii exqvisitissimi non minùs ac exercitatissimi Viro, Josepho Scaligero: *Ex solis sacrorum librorum fontibus certam temporum rationem hauriri posse.* Cumq́; illorum rationarium, Moses, *Prophetæ omnes, scrutantes, in quem aut qualem temporis, articulum prænuncius iste, qui in illis erat, Spiritus Christi declararet, eventuras Christo passiones, & consequuturam passiones gloriam, & illi ipsi, sibi revelata, nobis annuncianda administraverint* 1. Pet. 1, 11. 12. qvin Gabriel ipse, vel per Gabrielem Deus revelare grande LXX. hebdomadum arcanum Danieli, voluerit, & ad illud tantùm intersit, ut, absqve illo foret Historia sacra opacâ sub nocte lateret, uno principe destituta lumine, omnino hîc ἀκρίβεια major, inprimis ex protestatione, optanda in Theophilo. Conf. supra §. 22. Dissert. prioris.

§. 25. Licet autem in his Commentariis nihil appareat Arianæ hæreseos, vel per qvod insigniter præjudicetur fidei Catholicæ, non desunt tamen duriores violentæq́; qvædam expositiones allegoricæ, qvalis e. c. Matthæi 5. 18. *unum jota* (qvod numeri denarii apud Hebræos & Græcos) *est Decalogus: unus apex* (4. literas habens) *est Evangelium quadruplex.* Talis est expositio loci Matth. 12. 32. Matth. 22. 28. c. 25. 15. l. 1. Comment. & l. 2. Ita in Marci c. 4. 20. καρποφοροῦντες qvi ferunt fructuum tricena, *conjuges sunt*, qvi sexagena Vidui, Viduæve, qvi centena *Virgines*, etsi hoc placuit mirificè Hieronymo. Sic in parabolâ de *Viatore descendente Hierosolymis Jerichuntem*, qvem dicit intelligendũ esse primũ *hominem Adamum à Diabolo immortalitatis veste exutum, ingestis peccatorum plagis:* qvem *semivivum derelictum, ab Aarone* (sacerdote) *& Mose* (Levitâ) *neglectum, Samaritanus*

maritanus Christus curaverit, & ad Ecclesiã perductum Episcopis promissâ his in alterâ vitâ sui operis mercede commendaverit Luc. 10. 29. Contra: Scopus parabolæ est ostendere proximum: non peccati originalis vulnus seu morbũ, ex qvo homo non semivivus: sed totus in peccatis est mortuus, utut illud interpretamentum magnis post Theophilum Patribus probatum.

§. 26. Ita Parabolam Luc. 15. 11. *de homine habente duos Filios* explicat, de *Adamo* (*Filio juniore* τῷ διαασκορπίσαντι οὐσίαν αὐτοῦ vel καταφαγόντι τὸν βίον αὐτοῦ μετὰ τῶν πορνῶν) & *Christo.* (qvi adeò fuerit Filius πρεσβύτερος, vid. v. 25. cujus sanè characteres repugnant & Servatoris consilio, & parabolæ scopo) & tamen idem mox sui oblitus Christum dicit significari in vitulo mactato pro Filio juniore converso i. e. pro Adam & gentibus convertendis passurum Christum: qvin alter Filius s. *Junior*, inqvit, *Frater, Judæus est.* Conferatur qvoqve altera ejus de *Oeconomo* τῆς ἀδικίας s. *Villico iniquitatis* (prout Vulgatus loqvitur Luc. 16. 1. 8.) allegoria, qvi sc. fuerit Paulus in persecutione Christianorum *dissipans omnem Domini sui substantiam*, cujus omnia e. c. qvomodo *fodere non valuerit & mendicare erubuerit*, & cœtera parabolæ, deinceps sic duriter satis ad suam detorqvet allegoriam, qvam tamen posteriorẽ, potiùs, qvàm priorẽ illam ejusdem expositionem Parabolæ in Epistolâ ad Algasiam descripsit Hieronymus. conf. Theoph. patriarch. Antiochen. comm. 3.

§. 27. Ita commentariorum libro 4. ad Joh. c. 5. 2. *quinq;*, inqvit, *porticus piscinæ*, sunt *quinq; libri Mosis* & ibid. v. 5. homo ille tricesimum octavum annum ad illam probaticam agens in infirmitate, homo est, *cui ad implendum quadragenarium numerum legis duo mandata defuerunt* sc. 1. *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* 2. *Diliges proximum tuum, tanquam teipsum:* ac si sc. *ex denario Decalogi præceptorum* per *quaternarium Evangelistarum* multiplicato, *daretur quadragenarius numerus legis,*

legis, & duo illa præcepta, qvorum primum πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολὴ appellavit Servator Matth. 22. 28. essent particularia, haberentq; se ad Legem. velut *duo* ad *quadraginta*, cum sint totius legis summa, & talia de qvibus Servator l. alleg. Matth. 22. 40. *ab istis*, inqvit, *mandatis duobus tota lex & Prophetæ pendent.* Simile datur ἀλληγορέμενον de capturâ magnorum piscium 153. ex Joh. 21. 11. ubi ex *decalogo & 7. donis S. Spiritus* facit numerum 17. & ab *uno adusq; 17. multiplicando* evadere dicit *sanctas animas* 153. Sed satis de 2. & 3.

§. 28. Supereſt 4. ut nobile de Autore dubium paucis expediamus. Et Photii qvidem silentium nihil probaret, postqvam de ceteris qvoqve ὁμολογουμένως & adeò genuinis, Theophili notoriis tacet. Sufficit non tacuisse Hieronymum Photio longè anteriorem. At tacet Eusebius l. 4. hist. Eccles. c. 23. Sed ab illo exclusivè inferre non licet, cum & meminerit ἔτερά τινα κατηχητικὰ αὐτοῦ βιβλία & servari tunc qvoqve potuerit, etsi non adeo *Eusebio* conspectus fuit. Satis qvod eodem seculo Hieronymo innotuerit, nec tanqvam recentioris: sed longè vetustioris Autoris scriptum, imò illius Theophili Antiocheni. Ceterùm an Hieronymus qvoqve de Theophilo Antiocheno illo Autore dubitarit?

§. 29. Sanè à solo *stilo* magis vel minùs eleganti, & adeo non ubiq; constanti ad *eundem Autorem* negativè argumentari non licet. Non valet. *Datur in his commentariis minor elegantia compositionis*, ac alia sæpe phrasis, qvàm in indubitatis Theophili scriptis. E. illi non sunt *Autoris Theophili.*

§. 30. Immutat sæpe stilum ejusdem autoris, vigor ingenii, nunc major, nunc minor, nunc vegetus, nunc fractus, & remissior, vel ab ipsâ senectute inclinatus, ipsumq; non ex æqvo semper defæcatum in ipsâ compositione judicium. Qvin ἐξηγήσεις varia stilum qvoqve sæpè immutat, cum aliter loqvantur Patres

Patres scripturarum expositores, aliter Oratores, aliter Disputatores, ut non adeo mirum in his velut Commentariis paulò aliter illum habere, qvàm in illis contra *Marcionem*, vel ad *Autolycum*. Et tamen Hieron. epist. 151. apertè Theophilo illi velut Autori vindicat: *Theophilus*, inqvit, *Antiochenæ Ecclesiæ septimus post Petrum Apostolum Episcopus qvatuor Evangelistarum in unum opus dicta compingens, ingenij sui nobis monumenta reliqvit.* Ex mente adeo Hieronymi pro *Theophilo Antiochæno Episcopo* seculo 2. scriptore illustri & Martyre, pronunciandum priùs fuerit.

SCRIPTORUM.
Seculi II.
Classis III.
I. TATIANUS.

§. 1.

Hic gente Assyrius professione primò Rhetor, inde S. Augustini Martyris discipulus & sectator, qvamdiu Justinus vixit, magnum Ecclesiæ decus, post hujus Martyrium, eloqventiæ tumore inflatus, & hæresiarcha, Encratitarum qvi ejus discipuli & assecl æ fuerunt, & Severianorum, qvorum Antesignanus Severus hæresin Encratitarum auxit, conditor, magnaq; adeò tentatio Ecclesiæ est factus. Et de hæresi qvidem notavit Augustinus l. de hæres. n. 24. 25. *Tatianos nuptias damnasse, paresq; illas fornicationibus, & aliis corruptionibus habuisse, nullum sive marem, sive fœminam conjugio utentem in suos cœtus recipere, carnibus non vesci, Severianos vinum non bibere,, quod de Satanâ & terrâ germinasse asserant vitem*, planè prout de Manichæis August.

gust. hæres. 46. memorat: *Vinum non bibunt, dicentes, fel esse Principum tenebrarum.* Interfuisse tamen inter Tatianos & Encratitas, Epiphanius, & ex Epiphanio memorat Augustinus, usqve adeò ut *Tatiani Encratitas pro Schismaticis habuerint.* In illo autem consensus *Tatianorum & Encratitarum*, in mysteriis, *solâ aquâ utendum*, qvomodo & de ipso Tatiano meminit Epiphanius, illum *in mysterio Eucharistiæ, non vino: sed solâ aquâ usum*, & de ejus discipulis Encratitis: κέχρηνται δ' αὐτὴ μυστηρίοις δὲ ὕδατος. εἶναι δ' ὅλως τὸ μεταλαμβάνειν φάσκοντες, ἔναιμα διαβολικόν. Καὶ τὸς πίνοντας καὶ τὸς χρωμένους αὐτῷ εἶναι καὶ ἁμαρτάδεις, i. e. *In mysteriis ipsi aquam adhibent, vino autem penitus abstinentes, Diabolicum id esse dicunt, improbosq; & peccatores, qui bibant, eove utantur:* vid. Epiph. hæres. 46. & 47. unde & Hydroparastatæ, *quod aquam pro vino afferrent*, apud Theodoretum l. 1. hæret. fabul. & apud Augustinum *Aquarij*, qvod *aquam offerrent in poculo sacramenti, non illud, quod OMNIS Ecclesia.* conf. Aug. hæres. 64. Cæterum de hæresi Tatiani, illâ inprimis, qvâ *Adami saluti* contradixit, ex professo agit Irenæus l. 1. c. 31. & lib. 3. c. 39.

§. 2. De illo ipso Hieron. in Catalogo Script. Eccl. p. 35. *Tatianus*, inqvit, *scripsit volumina, è quibus unus contra gentes florentissimus extat liber, qui inter omnia opera ejus fertur insignis.* Extat ille in Bibl. Patrum edit. 2. tom. 4. inde à p. 1246. ad 1266. in qvo ex professo id agit, ut Græcos illo, qvo mirificè se efferebant, circa rerum excellentiũ inventiones, fastigio dejiceret, & inventionem artium, aliorumq; insigniorum, ipsamq; adeò vetustatem Philosophiæ à Græcis ad barbaros (qvos sic Græci suæ genti velut soli sapienti, soli liberæ, contradistinguebant) transferret, sic ut in scripto illo eruditionem seculi admirari liceat, in qvo Autor contra Græcos & infinitam ferè Philosophorum Græcorum multitudinem, ex tot ac tantis Gentilium commentariis, historiis, fabulis, illos de falsitate & vanitate suæ gloriationis,

tionis, convicit. Celebratur qvoqve Tatiani harmonia Evangelica ſ. 4. Evangeliſtarum conſonantia: ſed qvam Bellarminus Ammonio Alexandrino, ſeculo 3. ſcriptori vindicat, ipſumq; Victorem Capuanum, qvod illum cum Tatiani diateſſaro confuderit notat: vid. ille in præfat. harm. tom. 7. Bibl. patrum. Ceterùm in edit. 3. Bibl. Patrum, in indice Chronologico, illa, in qvam præfatus Victor Capuanus, defenditur qvidem non eſſe Tatiani: ſed Ammonis Alexandrini: verùm altera qvæ ſeculo ſeqventi ſub nomine Ammonii habetur, eſſe Tatiani, pro qvâ ſententiâ allegatur Baronius. Qvicqvid id eſt, qvantulumcunq; illius Tatiani ſupereſt, cum judicio & cautelâ legendum.

II. HEGESIPPUS.

§. 1.

CErtum eſt (1) vixiſſe Hegeſippum Apoſtolicis temporibus vicinum, Juſtini & Athenagoræ, æqvalem, temporibus Aniceti Romani, & Elevtherii, Imperatoribus M. Aurelio Antonino, & Commodo circa a. C. 167. & ultra. Illud enim ex ipſius Hegeſippi fragmentis, qvæ extant apud Hieron. in l. de Viris illuſtribus ſ. Script. Eccleſ. clariſſimè legitur, ubi ſic ipſe loqvitur, aſſerens *ſc. ſe ſub Aniceto veniſſe Romam, qui decimus poſt Petrum Epiſcopus fuerit, & perſeveraſſe ibi* usqve *ad Elevtherium ejusdem urbis Epiſcopum, qui olim Aniceti Diaconus fuerat:* & in diſp. adv. Idola. *Tumulos*, inqvit, *Gentes mortuis, templaq; fecerunt, ſicut usque hodie videmus, è quibus eſt & Antinous, ſervus Adriani Cæſaris, cui & gymnicus agon exercetur apud Antinoum civitatem, quam ex ejus nomine, condidit, & ſtatuit Prophetas in templo.* Recenstunc illius Antinoi, eximiæ pulchritudinis pueri, qvē prout viventē, in abominabilib9 delitiis παιδεραστὴς Adrianus habuit: ita mortuum

mortuum muliebriter flevit, & per universum ferè orbem terrarum statuis ac imaginibus honoravit, erat recordatio, sic ut circa vel paulò post tempora Adriani, Hegesippus ille vixerit, vel scripserit qvoqve.

§. 2. Certum (2) qvod 5. libros Historiæ Ecclesiasticæ inde à passione Domini, adusq; sua tempora scripserit, ac in illis *Ecclesiasticorum actuum historiã*, multaq; alia *ad utilitatem legentium pertinentia*, ex variis Autoribus collecta, *sermone simplici* (ut *quorum vitam sectabatur, eorum quoque exprimeret dicendi characterem)* proposuerit. De his enim testes & αὐτόπται omni exceptione majores, in hác qvidem qvæstione, Euseb. l. 2. hist. c. 22. lib. 4. c. 8. 21. Certum (3) in illis qvoqve *Ecclesiasticorum actuum historiis* fuisse nonnulla tanto scriptore indigna, adeò ut vel in illo, judicium historicum desiderare, vel insertum illud corruptumq; opus Hegesippi ex ipsis fragmentis colligere liceat. Occurrunt cùm alia, tum duo in primis exempla, unum de *posteris Davidis deductis ab aliquo Juda fratre Domini*, sic ut *posteritas tota Davidis tunc ad duos illius Judæ Filios redacta fuerit, de quo* videatur ex professo Scaliger in animadv. Eus. p. 187. 188. alterum in *passione Jacobi fratris Domini*, ubi ingentes hujus veteris Hegesippi περιβολὰς ostendit, censurisq; doctis idem notavit l. alleg. p. 177. 178. qvale & illud, qvod de *Jacobo Hierosolymorum Episcopo, vino & carnibus abstinente*, & sic plus faciente, qvàm ceteri Nazaræi, qvibus vino tantùm & potu inebriante, non autem esu carnium interdictum erat, refertur ab Hegesippo l. 2. hist. Euseb. c. 22. 23. conf. Chamier tom. 3. panstrat. l. 19. c. 4. §. 14. Certum est (4) qvinqve illos libros Historiarum, qvorum Eusebius & ex Eusebio Hieronymus meminit, hodiè nec Græcè, nec Latinè extare.

§. 3. Certùm (5) prout, qvi olim Eusebii temporibus extiterunt, hodie non extant: ita, qvi nunc sub Hegesippi no-

mine circumferuntur de excidio Hierosolymorum libri, nec illorum veterum Eusebii & Hieronymi temporibus extitisse, nec ab illis visos lectosve esse, nec adeò illius Hegesippi Apostolicis temporibus vicini: sed longè recentioris, & vel autoris, cui par Hegesippi nomen, vel si nullus alius Hegesippus scriptor extitit, vetusto nomini suppositum, & ψευδεπίγραφον supposititium ve opus esse. Quod præsentes, qvi sub hoc nomine nunc extant Latinè libri 5. de bello Judaico & excidio urbis Hierosol. vid. Bibl. S. Patrum ed. recent. tom. 7. col. 383. non sint illi ipsi 5. libri Græci, qvorum apud Euseb. & Hier. mentio, vel ex solo titulo constat, etsi magis ex argumento ac stilo planè discreto: qvod sint recentiores, rationibꝰ probavit *Laurentiꝰ Renatꝰ*, qvas inter & illa, qvod lib. 3. c. 5. ait: *Antiochiã tertio loco ex omnibus, quæ in orbe Romano, essent civitatibus, æstimatam, quarto demum loco censeri, postquam Constantinopolis excrevit, civitas Byzantiorum*: inde enim constat, post Constantini M. demum tempora libros illos fuisse conscriptos. conf. L. Barræus præf. in illos libros.

§. 4. Nec aliter de libris his Hegesippi Latini judicavit *Scaliger*, tum alibi, tum *in animadversionibus Eusebianis*, ubi *suppositititium Hegesippum*, vocat, & *Autorem infimæ vetustatis, qui* (non *contentus verbis Josephi*, dum aliqvid novi attulisse videri cupit) *sincerum sæpe vas Josephi incrustaverit, & pannos suos purpuræ Josephi assuere veritus haut fuerit*, ut mirum Scaligero, *non deesse, qui hunc Autorem sic legant, tanquam Josephum, imo quæ Josephus non habet, & sunt apud hunc, à Josepho omissa potiùs, quàm ab hoc ficta esse putent* vid. Scal. in animadv. Eus. p. 141. ubi *exemplum confidentiæ illius* PseudoHegesippi ponit, qvod de *ingressu Pompeij εἰς τὰ ἅγια* Hierosolymitana plus dicat, qvàm Josephus. c. c. de *Arcâ, tabulis testamenti, ac Chrubinis, quæ in sacrario illo Pompejus invenerit & viderit*, de qvibus altum in Josepho silentium, qvodq; idem Scaliger in Indice vocat *impudens commentum*. conf. Joseph. l. 14. antiq. c. 8.

§. 5. Me-

§. 5. Utut ergo non defuerit, Hegesippus Scriptor Ecclesiasticus, pro qvo, qvod *omnes à passione DOMINI usq; ad suam ætatem Ecclesiasticorum actuum texens historias, multaq; ad intelligentiam hinc inde congregans, quinq; libros simplici sermone composuerit*, testis luculentus in libello de Vir. Illustr. I. Scriptoribus Ecclesiasticis, Hieronymus, & l. 4. hist. Eccl. c. 20. 21. Eusebius, testatus *Theophili Antiocheni Episcopi circa a. c. 160. tempore magnâ cum laude floruisse, & propter doctrinæ præstantiam in publicâ celebritate vixisse Hegesippum, qui quinq; libris accuratissimam, plenissimamq; suæ sententiæ & opinionis de fide declarationem reliquerit*, falsò tamen, cùm libri 5. histor. de rebus à Judæorum Principibus in obsidione fortiter gestis, deq; excidio Hierosolymorum aliarumq; civitatum, confunduntur cum 5. illis libris, Hieronymo & Eusebii judicio, antiqvo illi Hegesippo, adscriptis, tum, non minori errore, antiqvus ille Hegesippus horum qvinq; librorum de obsidione & excidio Hierosolymorum autor asseritur, in qvo exorbitatum Trithemio. Facitq; contra Trithemium, Possevinus, prout contra Pseudo Gorionidis defensorem *Serarium* & allegantem pro Purgatorio Bellarminum l. 1. c. 11. §. 3. præter magnum *Scaligerum* & *Casaubonum, ex ipsâ* Scholâ pontificiorum militant *Possevinus*, *Ribera*, *Maldonatus*. Benè (ut ad Hegesippum redeamus) Baronius: *Hegesippus, non major ille, vicinis temporibus Apostolorum: sed alius longè junior, quem constat vixisse post tempora Constantini, historiam rerum gestarum in excidio Hierosolymorũ conscripsit.* Conf. annal. tom. 1. ann. 71. sect. 27. & ad an. 167. Sect. 15. Extant qvidem post *deperditam magno damno historiam veteris Hegesippi*, perpauca ejus fragmenta, qvibus ab Eusebio servatis fruitur Ecclesia: cæterùm illorum, qvæ apud Eusebium, velut λείψανα veteris illius, & genuini adeo Hegesippi servantur, nihil apud illum Pseudo-Hegesippum habetur, qvod, accurato hîc *critici sacri Riveti* judicio, perspicuum est falsitatis indicium.

§. 6. Meretur hic notari multorum & magnorum sub papatu tum diversorum, tum eorundem sibi ipsis relictorum luculenta contradictio, dum nunc Hegesippi librorum autoritatem magnificè efferunt & articulorum doctrinalium, qvibus præcipuè discernimur, autoritatem inde præsumunt, nunc in contrarium currendo, omni illos antiqvitatis culmine dejiciunt, & sic exautorant. Ita Bellarm. l. 2. de Rom. Pontif. c. 3. probaturus *S. Petrum, Romæ pro Christi gloria vitam posuisse, post Ignatium, & Dionys. Corinthium*, allegat *Hegesippum*, & ne qvis ψευδωνύμως, vel recentiorem ejusdem nominis Hegesippum opinetur allegatum, addit: *Hegesippus vicinus Apostolorum temporibus l. 3. de excid. Hieros. c. 2. totam historiam prolixè recitat*, addens: *Petrum capite deorsum verso crucifixum, ut ipse postulaverat.*

§. 7. Ita Bell. l. 2. de purgatorio c. 8. in qvæstione: *Num ex receptaculis suis animæ defunctorum egredi valeant?* post definitivam talem: *Ex inferno damnatorũ, limboq; puerorum non dari regressũ absolutè, ex Purgatorio limboq; Patrũ dari: quippe cum animæ impiorum damnatæ sint ad perpetuos carceres & ignes Gehennæ, & similiter animæ puerorum ad perpetuum exilium & tenebras: animæ autem S. Patrum (propter solum peccatum primi Parentis, & ex hoc contractum temporale debitum) & animæ Purgatorij (ob reatum temporalem pœnæ, quæ necessariò finem habet) damnatæ saltem sint ad exilium & carceres quosdam temporales*, & post longã, occasione exceptionis de *animâ Falconillæ & Trajani* disputationem, non solum *verissimam* asserens Augustini sententiam l. de cur. pro mort. c. 15. & 16. *nimiæ imprudentiæ esse negare, animas interdum ad nos redire, Deo sic jubente vel permittente*, idq; per inductionem probare conatus exemplis 1. *animarum beatarum ex cœlo ad nos aliquando venientium.* (2) *Animarum ex limbo Patrum.* (3) *Ex Purgatorio.* (4) Ex *Inferno damnatorum apparentium*, plus ultrà probaturus, qvosdam non ex *purgatorio* saltim vel *limbo Patrum*: sed & ex *cœlo beatorum & inferno damnatorum*

utut

utut non absolutè beatos vel damnatos ad pœnas æternas, revocatos esse ad hanc vitam, inter alios allegat Hegesippum qui lib. 3. c. 2. scripserit, à *beato Petro, Ethnicum quendam affinem Cæsaris à morte excitatum.* Probatur adeo iterum & allegatur Bellarmino Hegesippus velut genuinus.

§. 8. Nondum satis vel ex uno Bellarmino, allegati *Hegesippi*, exemplorum. Dantur & longè plura, quale quod probaturus *vicesimam tertiam Petri* præ aliis Apostolis *prærogativam*, Calvino illam de *detecto, planeq; extincto Simone Mago primo hæresiarchâ, non* historiam: sed *absurdam fabulam* reputanti, primo loco & ante Clementem, testem opponit Hegesippum lib. 3. de excid. Hieros. c. 2. nec minùs eundem pro *prærogativâ Petri vicesimæ quartæ, apparitionis* sc. Christi *Petro sub finem vitæ, instantissimo jam huic Romæ crucis martyrio, factæ testem* allegat: *Hegesippus*, inquit, *l. 3. de excid. Hierosol. c. 2. testatur sc. Petro nocte Romam egressuro in ipsâ portâ Dominum occurrisse, ipsiq; Simoni Petro percontanti: Domine, quò vadis? respondisse. Venio Romam iterum crucifigi, quod divinum ad suam mox crucem pertinere responsum Petrus intellexerit.* Ita Bellarminus idem l. 4. de not. Eccles. c. 14. in notâ undecimâ Ecclesiæ sc. *gloriâ miraculorum* allegat Hegesippum exl. 3. de excid. Hieros. c. 2. etsi thesin ipsam labefactat vehementer Bellarminus ingenuâ confessione, de talibus sc. *miraculis nec evidentiam dari nec certitudinem rei*: non illam, *quia tunc fides esset evidens*: non hanc, *quia*, inquit, *non constat nobis certitudine, cui non possit subesse falsum, illam non esse ILLUSIONEM DÆMONIS. Dæmon enim, etsi non potest facere vera miracula, potest tamen apparenter facere etiam quæq; maxima.* vid. Bell. l. 4. de R. Pont. c. 14. Usq; adeo Hegesippi hujus, ubi videbatur patrocinari Papismo, commendator Bellarminus fuit, nec fanè alio, quàm quo merebatur collocari, vetus ille & genuinus Hegesippus, loco habuit.

§. 9. At totum illud contra conscientiam veriorem scriptum Bellarmino, Bellarminus ipse loquitur, quando non so-

lum lib. 4. de Verbo Dei c. 7. sed & libello de Script. Eccles. clarissimè fatetur: *Libros illos veteris Hegesippi non extare: libros qui sub Hegesippi nomine circumferuntur, aut alterius Hegesippi recentioris, aut supposititios esse.* Ita cum Pighius hier. Eccl. l. 3. c. 13. Lip. part. 1. de vit. sanct. citassent veterem Hegesippum, non contentus illo Gretserus, pro Bellarmino, toties allegante Hegesippum Zelota futurus, impudentius egressus, *Quis*, inqvit, *ex eruditorum numero abnuit Hegesippum Apostolis ferè coævum, illorum librorum Autorem esse?* At, ut taceamus nostros & Reformatos, Scaligerum, Witakerum, in qvibus eruditionem & antiqvitatis notitiam, nemo, nisi rudis ipse, vel malignus desideraverit, & domesticos saltem allegemus, abnuit Salmero, certè pronunciavit, hos *libros apud eruditos in controversia esse positos.* Abnuit de la Barre, Baronius, Laur. Renatus, & Bellarm. ipse tandem confessor, qvorum adeo sententiam ceteris; Pontificiis contrarium hic sustinentibus, ipsiq; sic Bellarmino Bellarminum, opponendo, ἐπιχειρεῖν in Hegesippum hanc concludimus.

III. Liber de transitu B. Mariæ Virginis.

NOn est Melitonis Sardensis Episcopi, sub cujus nomine incedit in Bibl. Patrum tom. 7. sed supposititius & manifestè Apocryphus. Probatur 1. ex ipso Argumento 2. antiqvorum (Euseb. Hieron. &c.) silentio 3. Gelasii decreto *dist. XV. c. Sancta Rom.* 4. Bedæ qui *suppositos* Melitonis titulos *mendacissimos* evicit; judicio 5. Confessione primariorum qvorundã Dd. pontificiorũ *Baronij & Bellarm.* ipsiusq; *Margarini* de la bigne, qvi ψευδεπιγραφον, Apocryphum & indignissimum Melitone illo agnoscunt vid. Baron. in annal. Bell. l. de S. E. Marg. in censurâ, ut mirum contra decretum *Gelasii*, non *legendum*: sed *repudiandum & ab omni Romanæ limine arcendum*, de Cathedrâ pronunciantis; & usum Margarinum referre librum in Bibliothecam Patrum, & legendi studiosis eundem inter cetera scripta Patrum proponere.

Ad Præcellentem

DN. ÆGIDIUM von Thienen/

Rostochiensem S. S. Theol. Studiosum solertissimum; publicè

In Rationario Theologico

Antiqvitatis Ecclesiasticæ

RESPONDENTEM

Die HENRICI S. XII. Jul. A. O. R. cIↃ IↃ CC LXXIII.

CHORIAMBICO PHERECRATIO-GLYCONICUM.

Sic qui cuncta fovet, (quem Genitor DEUS
Quem spirat pare spiramine Filius)
Qui caligine verum
Veri Spiritus *expedit*
Adflet Te Juvenem! sic voveat sacris
Semper Te radiis, cujus anhelitus
Vel centuplice linguâ
Confestim docuit loqui
Et miranda Dei jussit, Apostolos
Directore DEO, pandere gentibus
Ut te nectere palmas,
Gaudet patria Filium.
Qualis post hyemes, post Borea nives
Caurus, nostra redux prata perambulans
Tristes floribus agros
Lucos frondibus induit,

Talis

Talis post obitus egregÿ Patris
THIENI, noster Amor, letus ades tuis
In Te jam redivivum
Spectatur patrium decus.
Et nunc scripta Patrum materiem tibi
Pandunt, jam labarum sanctior explicat
Ætas, erudiendo
Constant cuncta laboribus.
Ostendis Juvenis divitis ingeni
Merces, ne subolis pœniteat solum
Quod natale vereris
Nec pubis pigeat Patres.
Sit felix quod agis! sospite te salus
Et secura quies stillet ab æthere
Noster flumine Varnus
Dum Baltim petet aureus.
Et qui cuncta fovet, qui maris & poli
Terrarumq; plagis imperitat Deus
Et spirabile Numen
Mundi dedecus arguens
Te virtute suâ cœlitus imbuat
Det sanctos animos, quos juvet unicè
Sanctis inæluisse
Flammis Numinis ignei!

Ita precatur
PRÆSES

RATIONARII THEOLOGICI
DE
SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS,
SECULI II.

DISSERTATIO V. & ultima

Exhibens judicium Theologicum

Cùm de Clementinis superioribus, tum de XXI. Epistolis Decretalibus, qvæ sub XI. priscorum & sanctiorum olim Romæ Episcoporum nominibus, pro firmando ex antiqvitate Papatu, ipso inprimis R. Pontificis immani primatu, à Turriano Jesuitâ, Baronio, Bellarmino ceterisq; longo ordine Scriptoribus Pontificiis, qvin in ipso Jure Pontificio, velut, illorum Pontificum genuinæ & sic antiqvissimæ freqventer allegatæ, tantis nominibus indignæ, tantæq; antiqvitati ingenti crimine falsi suppositæ remonstrantur.

MODERATORE DEO OPT. MAX.

PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO, D.

Sereniss. Duc. Consistorii Assessore & Colleg. Theol. h. t. Decano.

RESPONDENTE

ADOLPHO CHRISTIANO Golstow/

publicæ collationi submittenda

d. 30. Augusti horis ab 8. antemerid.

In AUDITORIO MAGNO

(:o:)

Rostochi PRELO RICHELIANO.

Universitäts-Bibliothek Rostock

1673.

1673

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910760/phys_0157
DFG

Plurimum Reverendo, Illustri, ac Magnifico DOMINO

DN. CHRISTIANO CASSIO,

Aulæ Cæsareæ sacriq; Palatii Lateranensis Comiti, & S. Rom. Imp. Exemto, Sereniſſimorum Holsat. Ducum Consiliario, Reverendiſſimi Episcopi Lubecensis Cancellariæ Directori, & Ven. Capituli Eutinensis Decano, DOMINO Compatri ac Fautori suo Magno,

Item &

Pl. Reverendo, Prænobili & Ampliſſimo DONINO,

DN. MATTHIÆ SOLTOVIO,

Rev. Capituli Lubecensis Canonico Seniori.

Domino Parenti suo summè colendo

salutem debitamq; obſervantiam!

QVàm ab instituto brevis hujus allocutionis & humilimæ dedicationis absterrere me poterat, splendidiſſima vestra dignatio, tàm, ne qvid hujus consilii retractarem, persvasit amor, & debita vobis submiſſiſſima veneratio. Novi eqvidem, non in transcursu colenda esse magna nomina: sed & illud novi, tantum virtutum, tantum vestrorum in me meritorum esse cumulum, ut nulla tam ornata tamq; copiosa mihi Oratio profluere possit, qvâ, non dico exhaurire: sed vel adumbrare saltem laudes vestras & pro magnis beneficiis grates liceat persolvere dignas. Splendidiſſimum ubiq;, Illustris & Splendidiſſime DOMINE CASSI, Propater venerande, jubar spargis, qvo, non patriam solùm; nec illos saltim terrarum Dominos, qvorum Consilium participas: sed universam Germaniam, & ipsa sub Aqvilone regna illustras, ac, qvæ pulcherrima & auguſtiſſima Heroum domus est, in omnium Illustrium Clariſſimorumq; Virorum habitas animis, inq; celeberrimis omnium vivis recordationibus ac linguis. Prætereo taciturus, tuas, Parens pretioſiſſime, dotes: tuasq;, utut omni voce, omni laude meâ sublimiores laudes, religioso potiùs veneror silentio, ne amor pronunciasse, vel illa mihi verba dictasse videatur. Merita autem ve-

ſtra, qvi vitam vobis, nec mortalem ſaltim hanc: ſed & meliorem illam, Cœlo qvondam renatus, ipſumq; Nomen, & bonam mentẽ, ſub Veſtro oculo providaq; cura conformatus, imputo, qvâ tandẽ orationeexæqvare, vobisq; gratias, non dico referre: ſed vel agere ſaltim pares, vel habere poſſim? Qvantum vobis debeam, malim vos ex paterno veſtro erga me favore, & ex beneficiorum veſtrorum numero, menſurâ, pondere, qvàm ex verborum meorum ambitu benigniſſimè penſitare. Ego reverentiùs (prout olim ingenioſus pictor) velo obumbro, qvod orationis meæ penicillo exprimere neqveo. Non alia fine has, non ex mole: ſed antiqvitatis ſanctioris diſcretione, ipſoq; argumento æſtimandas paginas, Veſtris Magnif. dedico, qvàm ut filialem obſervantiam, devotionemq; meam ac gratitudinem publicè profitear. Celari non poteſt ignis, qvin aut calore ſe ſuo aut fulgore prodat: minùs autem igne celatur Parentum in Filios & horum generoſiorum in Parentes amor, ac illis nominibus debita veneratio. Tantò lubentius autem hæc ſancta ſanctis, antiqvitatis qvoq; Eccleſiaſticæ & amantibus, & intelligentibus inſcribo, qvantò longius vos ab illis, qvibus primo loco eſt ærarium, poſtremo vel nullo, ſacrarium, abeſſe, deq; domo Domini ſolicitos eſſe ſcio. Accipite, Parentes venerandi, qvæ, ſuorum ſtudiorum Academicorum ἀπαρχὴν, offert humillimus filius, & patrio mihi ritu affectuq; porrò favete! Simplici, qvicqvid ſupereſt, voto deſigno. Deus Opt. Max. qvi non incolumes ſolũ; ſed & omni gloriâ ac felicitate florentes Vos hactenus ſervavit, longã vobis annorũ ſeriem, ac gloriæ (ſi tamen hæc acceſſionem admittit) floridiſſimæq; in ipſa ſenectute felicitatis auctarium addat, ut non minùs feliciter, qvàm diu vivendo, in veſtrâ longævitate uberrimum pietatis & juſtitiæ fructum colligatis, & qvandocumq; natali cœlo redonandi (qvod ſerò fiat) conceſſeritis, cum laude & bonis recordationibus facta atq; famam veſtri nominis proſeqvantur poſteri! Dabam in Acad. Roſtoch. Idib. Auguſti a. clɔ Iɔc LXXIII.

ADOLPHUS CHRISTIANUS Soltow/ *Lubecenſis.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910760/phys_0159
DFG

Ad Nobilissimum & Præstantissimum

DN. RESPONDENTEM.

Votum HENDECASYLLABUM.

QVæ qvondam malè fidus Isidorus
Non Pelusiaci corona Nili
Mellitissimus Isidorus ille (α)
Nec sanctissimus alter, Hispalensis (β)
Isidorus, amor decusq; gentis:
Tantis inferior sed Isidorus
Institor pretiosus Isidorus (γ)
Per tot suppositas Epistolarum
Romæ Pontificum beatiorum
Chartas: qvæ ferus inde Turrianus
Selenumq; secuta Romularum
Cohors Bessaridum, propinat orbi
Plena pocula roris Antichristi
Qvò Christo Capiti unico Monarchæ
Addant Pontificem CAPUT, MONARCHAM
Imponatur Athos (δ) ut unus orbi
Mox imponere qvi valeret orbi,
Tu Rosæ decus elegantioris
Amor delitiumq; gratiarum
Varni de Cathedrâ Periclis instar
Facundo tonitru vel execraris
Vel jubes procul his abesse terris:
Ut mentita cohors rubere discat
Nec falsis titulis vetustioris
Aevi, dogmata palliet Tridentum.
Sit felix qvod agis! Perennat una
Tandem gloria Numinis supremi
Post qvam gloria prima veritatis.
Sit felix qvod ages! Deus secundet!

Imprecatur
PRÆSES,

(α) *Isidorus Pelusiota scriptor sanctioribus Epistolis celebris vixit medio sec. V.*

(β) *Isidorus Hispalens. Episcopus, scriptor Ecclesiasticus insignis floruit, ineunte seculo VII.*

(γ) *Isidorus Mercator cognominatus collector Canonum & compilator spuriarū Epistolarum Decretalium inde à Clem: adusq; Gregoriū M. vixit labente seculo 8. malè adeo à Pontificiis scriptoribus pro Hispalensi illo antiquiore & sanctiore habitus.*

(δ) *Bellarm. l. 1. de Rom. Pontif. c. 9.* summus Pontifex, *inquit*, ingens est mons.

RATIONARII ECCLESIASTICI

Scriptorum SECULI II.

Classis IV.

Exhibens

Epistolas Decretales, sanctioribus illius Seculi Pontificibus suppositas.

§. 1.

CIrcumferuntur in tomis Conciliorum, inq; præfatione Bibliothecæ Juris Canonici veteris Guliel. Voelli, & Henr. Justelli celebrantur, velut Episcoporum Pontificum Romanorum, inde à Clemente ad Siricium, & ultra hunc, Epistolæ, sub Isidori velut Collectoris, nomine, ante multa jam secula publicatæ, de qvarum autoritate, ipsisq; Autoribus (non qvidem, an qvi autores venditantur sanctiores & veri Episcopi fuerint? non, an illi ipsi autores primatum R. Pontificis magno conatu per decretales illas stabilire vel confirmare intenderint? qvorum utrumq; facilè affirmatur: sed) an illæ ipsæ vetustissimorum illorum, qvorum nomina præferunt, & sub qvorum venerabili nomine cùm in Jure Pontificio undiqvaq; citantur, tum à Pontificiorum primariis Dd. ubicunq; aliqvid inde apparet emolumenti sibi domestici, contra nos allegantur, Pontificum genuinæ, & illius adeo, cujus ipsa nomina, vetustatis sint? inter nos & Pontificios controvertitur.

§. 2. De Collectore Isidoro, deq; characteribus illarum tantis nominibus tantæq; vetustati suppositarum, tum in Apparatu ad seculum I. tum in Rationario Seculi I.

classe 4. p. 161. ad p. 171. pluscula, & in illo argumento satisfactura jam præmisimus, & contra Jesuitas, Turrianum, Possevinum, Maldonatum, Grezerum, ceterosq; post Gratianum, Lombardum, de Turrecremată, Cajetanum, Hosium, Latomum, Pighium, de Castro, Canum, Payva Andradium, Lindanum, Sixt. Senensem, Campianum, Jansenium, de Valentiâ, Bellarminnm, Stapletonum, Costerum, Svaresium, Binium, Mendozam, Voellum, Justellum, nec Isidori Hispalensis collectionem illam, nec ipsorum inscriptorum Pontificum Romanorum Epistolas illas, XI. generalibus argumentis, abunde remonstravimus, qvin, ut nostra per adversariæ confessionē illustraretur veritas, ex ipsis Pontificiorum castris H. Kalteisen Dominicanum, Nicolaum Cusanum, Cassandrum, Erasmum, Concium, August. Tarraconens. Episcopum, Edmundum Richerium Sorbonistam, Simonem Vigorium Regis Gall. Consiliarium testes citavimus &, prædominante alicubi veritate, contradictoriam assertionem exprimente, Baronium in hoc argumento cum Baronio, Bellarminum cum Bellarmino commisimus, indeq; ad speciale examen V. *Clementinarum* S. *Clementi I.* Romano Episcopo, Petri successori (etsi de hoc ingens in ipsâ antiqvitate bellum conf. in rationar. Seculi I. p. 178. & seqq.) accommodatarum, descendimus, ac inscriptionis illarum & antiqvitatis tantæ falsos titulos per argumenta omni exceptione majora, evicimus.

§. 3. Constabit inde, qvo loco habendæ, qvæ, in Canonibus inprimis Juris Pontificii, freqventissimæ occurrunt Clementinarum illarum allegationes. Eqvidem videri poterat, prout in cetera Juris Canonici, ita in illas qvoqve convenire qvod de Ægypto cecinit Homerus:

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Non improbanda simpliciter sententia est, qvæ ex Clement. 3. citatur & habetur dist. 38. c. 16. *Nullus Episcopus à parvulis vel minimis*

minimis eruditis, si quid fortè est utilitatis aut salutis, inquirere negligat. Qui enim rebelliter vivit, & discere atque agere bona recusat, magis Diaboli, quam Christi membrum & infidelis potiùs quàm fidelis esse ostenditur.

§. 4. Gravior etiam, & contra Pontificios alibi utibilior est, qvæ ex Clementinâ 5. in Canonem exivit dist. 37. c. 14. *relatum est nobis*, ubi inter alia hæc qvoqve leguntur: *Diligenter observandum est, ut cum lex Dei legitur, non secundùm propriam ingenij intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis divinis, quæ possint trahi in eum sensum, quem sibi unusquisq; sponte præsumsit: sed FIERI NON OPORTET. Non enim sensum, quem extrinsecus adulteretis, alienum, & extraneum debetis quærere, aut quoquomodo ipsum scripturarum autoritate confirmare: sed EX IPSIS SCRIPTURIS SENSUM CAPERE VERITATIS.* Scilicet, prout sensus à Lectore vel consultore non inferendus: sed ex scripturis, adhibitis legitimis interpretandi mediis, efferendus: ita nullum magis cognoscendæ veritatis obstaculum, qvàm allatum à consultore, causæ, inclinandæve ad hanc sententiæ sacræ, præjudicium, in qvo positis, nil mirum idem evenire, qvod oculis corporis depravatis, vel in ipso meridiano sole caligantibus, qvin

Lurida præterea fiunt quæcunq; tuentur -
Arquati-Multaq; sunt oculis in eorum deniq; mista
Quæ contage suâ palloribus omnia pingunt

Ut tamen inde, non minùs scripturarum, qvàm ipsius solis periclitetur evidentia. Nec inelegans est, qvæ ex eâdem Clem. 5. alleg. dist. c. *relatum est nobis* adducitur sententia: *Cum ex divinis scripturis integram quis & firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid etiam ex communi eruditione & liberalibus studiis, quæ fortè in pueritiâ attigit, ad assertionem veri dogmatis conferat.*

§. 5. Ita distinct. 23. c. 4. allegatur ex Clementinâ 2. *Tales ad ministerium eligantur Clerici, qui dignè possint dominica sacramenta tractare.* Ita caus. 11. q. 1. can. 29. citatur ex Clement. primâ: *Episcopum oportet irreprehensibiliter vivere, & summo studio niti, ut omnes vitæ hujus occupationes abjiciat, ne fidejussor existat, ne advocatus litium fiat, neve in ullâ aliquâ occupatione prorsus inveniatur mundialis negotij occasione perplexus*, & Canon. 30. ibid. ex eâd. Pseudo-Clementinâ: *Sicut Episcopo impietatis crimen est, neglectis verbi Dei studiis solicitudines suscipere seculares: ita unicuiq; laicorum peccatum est, nisi invicem sibi, etiam in iis, quæ ad communis vitæ usum pertinent, operam fideliter dederint.* Conveniunt hæc regulis illis Apostolicis, per qvas jubentur Christiani, esse κοπιῶντας, ἐργαζόμενοι τὸ ἀγαθὸν ταῖς χερσὶ s. *laborare, & operari bonum propriis manibus*, ut sc. *habeant*, unde & sibi & *indigentis fratris necessitatibus subvenire possint*, Ephes. 4, 28. unde illa sententia Apostoli: εἴ τις θέλει ἐργάζεσθαι, μηδὲ ἐσθιέτω i. e. *si quis non vult operari, ille nec edito*, & vel propriarū manuū, ipse σκηνοποιὸς s. *tabernaculorum confector* (Act. 18. 3.) exemplo, magnâ voce adhortatur, ut Christiani *cū quiete operantes, suo pane vescantur* 2. Thess. 3. 7. 9. 10. & seq. Act. 20. 34. Scilicet nec pietas ignavos, nec laboriosa sedulitas impios reddere debet. Conf. qvoqve caus. 2. q. 7. c. 8. *sacerdotes* & 9. *qualis*, caus. 16. q. 7. & de consecr. dist. 1. c. 13. *Ecclesias*, etsi in illis videtur, Clericos absolutè judicio Laicorum eximere, prout Clericis in Laicos jurisdictionem, etiam in negotiis seculi, legitimare causa 11. q. 1. canon. *si qui* 32.

§. 6. Improbanda magis, & velut Pseudo-Clementina habenda, qvæ ex 3. allegantur caus. 11. q. 3. can. *si autem* 11. ubi non *solùm presbyteri Diaconi & Subdiaconi & reliqui Clerici*: *sed & omnes Principes tam majoris ordinis, quàm inferioris, si Episcopis non obedierint, declarantur infames*, conf. qvoqve ibid. can. 15. & caus. 16. q. 1. c. 41. ubi ex Clementinâ 3. *omnibus presbyteris absque*

absq; speciali licentiâ Episcopi missas agere & baptizare interdicitur. Tale qvod ex illis Pseudo Clementinis allegatur caus. 12. q. 1. can. Dilectissimis Fratribus *de omniũ bonorum* (ipsarum etiã *conjugum*) communione, conf. cum illo Canone Decreti c. 3. *Exiit* de V.S. l. 5. 12. *sexti decret. ubi abdicatio proprietatis OMNIUM RERUM meritoria dicitur & sancta*, ita decreto consonanter pronunciante Nicolao IV. (III.) & Clemente V. vid. l. 5. Clementin. 11. de *Verb. signif.* c. *exivi de Paradiso*, contrarium autem decernente Joh. XXII. c. 3. *ad conditorem Canonum* tit. 14. de *Verb. signif.* in Extrav. & ibid. cap. 4. *cum inter nonnullos* & c. 5. *Quia quorundam*, de qvibus contradictoriis Juris Pontificii Canonibus, ipsorumq; sic Pontificum Cathedralibus decisionibus Bellarminus ipse l. 4. de R.P. c. 14. contra Joh. de turrecremată: *Nisi vehementer*, inqvit, *fallor, in omnibus conciliari nequeunt.* Scilicet *Nicolaus, sentit illam paupertatem esse sanctam & meritoriam, negat Johannes.* Alteruter sanè ex Cathedrâ pronunciando erraverit, & sic deliqvium infallibilitatis ostenderit.

§. 7. Qvum contradictionem omnem negare non posset, emollire, atqve sic conciliare qvodammodo discordantes Canones Pontificum Bellarminus l. alleg. conatus, in 3. speciales qvæstiones κεφάλαιον illud Pontificale resolvendum judicavit. (1) *An in usu consumtibilibus posset separari usus à dominio?* (2) *An abdicatio dominij, solo usu relicto, sit sancta & meritoria?* (3) *An Christus talem paupertatem verbo & exemplo docuerit?* ad qvæ tria responderit, Nicolaus, affirmando, Johannes negando. Ceterùm fatetur Bellarminus, in primo, *erravisse Johannem*, in secundo qvoqve meliùs s. rectiùs Johanne sensisse *Nicolaum*, in tertio, utut contradictionem veram inter Pontificum decisiones, non dari, qvin conciliationem facilem, talem sc. ut Nicolaus neget *Christum SEMPER aliquid proprij habuisse: Johannes contrà, Christum nunquam quicquam habuisse proprij* s. *semper nihil habuisse*

hil habuisse proprij, accommodari posse, statuerit, agnovit tamen, *melius sensisse Nicolaum, erravisse Johannem*, imò sententiam Nicolai fundari in *doctrinâ & praxi Christi* Matth. 10. 8. 9. 10. non obstantibus *loculis Judæ τὰ γλωσσόκομον* habentis Joh. 12, 6. c. 13. 29. Ultima demum exceptio Bellarminii, *erravisse quidem Johannem: sed non in re fidei*, nec Nicolao id definitum *velut articulum fidei:* nec Johannem *directè id impugnasse, quod Nicolaus* affirmarat. Ceterùm controversia de *sancto & meritorio apud ipsũ Deũ*, qvæstio fidei vel de articulo fidei est, & qvod Nicolaus definivit, id velut credendum definivit, cujus contradictorium dum Johannes, apertè pronunciavit, non potest non undiqvaq; hic constare exemplum belli Papalis. Sufficit confessio prior Bellarmini: *Nisi vchementer fallor, in omnibus conciliari nequeunt.*

§. 8. Dantur allegatorum ex illis decretalibus longè plurima, qvæ ostendunt illas esse Pseudo-Clementinas, qvale (1) de *discretis* in Ecclesiâ *Clericorum & Laicorum locis*, & ne qvis laicorum, tempore ministerii consistat in *Presbyterio* (i. e. eo loco ubi sacerdotes & reliqvi Clerici consistunt) de consecrat. distinct. 2. c. 30. *Sacerdotum*, (2) de *locis in quibus Missa celebranda* ibid. dist. 1. c. 14. *Hic ergo*, qvale (3) de *altaris pallâ, Cathedrâ, velo, quæ si fuerint vetustate consumta incendio sint danda, & cineres illorum baptisterio inferendi, aut ceteroqui sic recondendi, ne introeuntium pedibus inquinentur*, de consecr. dist. 1. c. *Altaris 39.* (4) de *mortuis non obvolvendis & scapulis Diaconi non operiendis pallâ* vel *vestimentis altaris*, sub pœnâ suspensionis ab officio, & anathematis in Diacono *per triennium & sex menses*, in Presbytero autem, *non commovente* inferiorem *clericum*, per 10. *cum dimidio annos* ibid. c. *Nemo per ignorantiam* 40. (5) De 3. *distinctis gradibus illorum, quibus sint commissa sacramenta divinorum secretorum sc. Presbytero, Diacono, ministro, & de reliquiis fragmentorum*

fragmentorum corporis Domini cum timore & tremore custodiendis distinct. 2. consecr. c. *tribus gradibus* 23. Tale (6) qvod ibidem §. 2. deciditur casus, qvomodo sc. tractandum, qvod in altari remanserit: & respondetur (1) *Tanta esse offerenda, quanta populo sufficere debeant.* (2) *Si tamen aliquid remanserit, non esse in crastinum reservandum: sed Clericorum diligentia consumendum:* (3) λείψανα illa *s. reliquias corporis Domini in sacrario relictas, qui consumunt, non statim sacræ illi portioni debere miscere cibum communem: sed intervallum dare 6. horarum.* (4) De *reliquiis* s. fragmentis illis non facilè aliqvid *dandum extero Clerico vel Laico*, cum non facilè constet, an *à mulieribus mundi sint*, prout David non admissus est ad comedendum *panes sacros*, nisi sub præstitâ *cautione*, qvod & ipse, & socii, jam per triduum *à mulieribus abstinuerint*, 1. Sam. 21. §. 6. conf. ibidem §. *Præcipimus etiam*.

§. 9. Tale (7) qvod ex Decretali Clementis primâ allegatur in Jure Pontificio dist. 80. c. 2. sc. *Patriarcharum* & *Episcoporum* institutionem conformandam Ethnicorum Ordinationi, sic, ut *in quibus civitatibus sub paganismo fuerint antea Archiflamines*, in illis non|ponantur *Episcopi vulgares*: sed *Patriarchæ & Episcoporum primates ac Judices*: in ceteris, *Archiepiscopi*, *in singulis autem civitatibus singuli*, *non bini*, *Episcopi*. Tale (8) qvod ibidem §. *in singulis* solicitè cavetur, ne confundantur *nomina Episcoporum, Primatum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum, & ne quis Episcopus se primatem vel Metropolitanum nominet*, & pro illâ subordinatione & differentiâ qvasi specificâ, cum qvoad officii determinationem, tum qvoad præcedentiam dignitatis, allegatur praxis ipsorum Apostolorum, inter qvos non *par institutio fuerit: sed unus omnibus præfuerit*, idq; totum, evidenti crimine falsi, sub nomine illius Clementis deducitur ex præcepto Petri sic ordinantis, planè contra rationarium simpliciorum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910760/phys_0167
DFG

rum illorum & sanctiorum, sanè à tali ambitione dignationum Ecclesiasticarum, alienorum temporum, imò contra humilitatem Petri *Compresbyterum* se appellantis *ceterosq; Presbyteros* velut fratres obtestantis, ut sint ἐπισκοπῦντες i. e. *Inspectioni commissi sibi ad pascendum gregis vacantes*, idqve non αἰσχροκερδῶς s. *turpiter lucrum affectantes*, non δεσποτικῶς s. *non dominantes cleris vel gregi*: sed ut qvi sint *EXEMPLARIA GREGIS*, uni Archiepiscopo, & Pastorum Principi Jesu Christo repetundarum aliqvando acturo, si qva ovicula ipsorum Pastorum, culpâ, infernali Lupo cesserit, rationem reddituri, si verò ex lege Christi Pastores sese probarint, *amarantinam illam gloriæ coronam reportaturi* 1. Pet. 5. 1. 2. 3. 4.

§. 10. Addatur (9) *Quod, cui Clemens Romanus inimicus, ei omnes ceteri Clerici & Auditores Laici inimici esse debeant*, sancitur ex Clementinis dist. 93. c. *Si inimicus est iste Clemens*, etsi illud, si supponatur justa Episcopi indignatio, pro ratione objecti, conciliandum vel explicandum ex legibus Apostolicis 1. Cor. 5, 11. 2. Cor. 2. 6. 2. Thess. 3. 14. in qvotamen exercitio τῆς ἐντροπῆς s. τῆς ὑπὸ πλειόνων ἐπιλυμίας i. e. profectæ à pluribus increpationis, observandum temperamentum, qvod ab Apostolo mox subjunctum: *Neque tamen, ut inimicum ducite: sed ut fratrem admonete!* v. 15. Conf. qvoqve dist. 83. c. 6. *Nihil est illo pastore miserius, qui luporum laudibus gloriatur:* allegantur plusqula sub nomine Anacleti ex ep. 1. sed & addantur, qvæ ex PseudoClementinis allegantur in Jure Pontificio de *Diaconis, Episcopi oculis circumlustrantibus & perscrutantibus omnes actus totius Ecclesiæ, de sacerdotibus eorumq; officio, de obedientiâ præstandâ Episcopis* dist. 93. c. 6. 7. 9. conf. caus. 11. q. 3. c. *si autem vobis* & c. 16. q. 7. c. 28. *sacerdotes Deo dicatos ab omnibus venerari oportet & non à quoquam gravari*, latinitate non usitatâ adeo, neqve tamen sine exemplo, cum & *vino summoq; gravati*, Livio, & *donum Indis*

veneras

veneratum, dictum Cæsari Germanico & *venerata sacerdos* Virgilio, qvin *veneror* passivè etiam dici probatum Gellio & Prisciano conf. etiam c. 17. q. 4. c. 15.

§. 11. Qvâ fide, qvave autoritate, illa sub Clementis sanctioris illius Episcopi nomine citentur in Jure Pontificio, qvamq; Papatus frustra ex illâ fictâ cum decretalibus antiqvitate, pro primatu R. Pontificis nobis opponat argumenta, in examine speciali Clementinarum illarum ad seculum 1. abunde satis remonstravimus, qvibus unam nunc saltem autoritatem s. ingenuam Pontificiorum eximii confessionem addimus. Johannes Patriarcha Antiochenus, libro *de potestate generalis Concilij supra Papam*, probaturus, qvod *Pontifex Romanus etiam extra casū Schismatis vel hæresis possit ab universali Ecclesiâ deponi*, pro thesi suâ, allegaverat primam Clementinam, in qvâ Petrus sic repræsentetur ad successorem Clementem Orator: *Non sis mundanis solicitudinibus occupatus, quia sic non poteris ea, quæ ad salutem pertinent, pleniùs singulis distribuere: & ex eo fiet, ut tu, tanquam non docueris ea, quæ ad salutem necessaria sunt, deponaris.* Concluserat inde Antiochenus, Papam Rom. non solùm, ubi hæreticus sit vel Schismaticus: sed etiam, extra casum hæreseos, ob latam culpam vel negligentiam animarum deponi posse. Respondet Joh de Turrecremată Presbyter Cardinalis 2. Sum. Eccles. & in dubium qvidem vocat lectionem, sc. pro vocabulo: *deponaris*, legendum *puniaris*, qvomodò hodie ferè legitur in Latinis Concil. Codicibus: ceterùm non illâ solutione contentus ipse rejicit omnem illius Clementinæ autoritatem, ut obscuram & dubiam, negando, fieri potuisse, ut Clemens epistolam hanc post mortem Petri editam scripserit ad Jacobum Fratrem Domini, qvi, teste Eusebio in Chronico, 10. annis ante obitum Petri occubuerit à Judæis lapidatus. Sed satis de Clementinis.

Nunc ad examen speciale 19. Epistolarum Pontificalium seculo II. à Pontificiis suppositarum, procedimus, ex qvibus tres sub *Anacleti*, duæ, sub *Evaristi*, binæ, sub *Alexandri I.* totidem, *Sixti I.* una *Telesphori*, geminæ *Higini*, una *Pij I.* una *Aniceti*, duæ *Soteris*, una *Elevtherij*, duæ *Victoris*, nominibus, à Pontificiis celebrantur, de qvibus nunc ordine ἐπίκρισις à nobis Theologica danda fuerit.

I.

ANACLETI DECRETALIS I.

§. 1.

Licet haut deesset, ex hâc Epistolâ, gloriæ Confessionis nostræ asserendæ & Pontificiæ in ruborē alicubi dandæ non inelegans argumentum, qvia tamen falsis titulis gloriari, vel illis testibus gloriosam sic satis confessionem prostituere nolumus, id qvod res est, in ipso statim limine sincerè profitemur sc. Si qvis unqvam fuit, temporibus Apostolorū sive σύγχρονος sive proximus, Romæ Episcopus, ANACLETUS appellatus, sive *primo*, sive prout aliis Pontificiis placet, *secundo* seculo accensendus, non illius hanc Epistolam: sed, sive alterius *Anacleti* sit, sive nominis planè ficti, longè recentiorem, spuriam & tantâ vetustate longè posteriorem Decretalem illam esse.

§. 2. Probatur 1. ex argumento. Dantur qvippe, qvæ Apostolorum Discipulo, sacrarum scripturarum interprete glorioso, Episcopo Romano, illius sanè Ecclesiæ, cujus tunc fides celebrabatur in toto mundo sunt indigna, & ipsa perversitate in ipsum qvoqve sanctissimum Numen injuria. Exemplum esto non tam prætoria illa & insolens Apostolicis temporibus, sanè regulæ Pauli ac Petri Rom. 13, 1. 1. Pet. 2. 13. 17. vox: *Leges Ecclesiæ Apostolicâ firmamus autoritate & peregrinâ judicia submovemus*, qvàm, qvæ annectitur in Anacleti Decretali ratio, qvia sc. DOMINUS *mentionem faciens Loth per Mosen, dicit: Ingressus es ut advena, numquid ut judices?* Locus est Gen. 19. 9.

§. 3. At

§. 3. At præterqvam, qvod ipsa allegatio juxta Latinam Vulgatam perimit veram illius Anacletinæ antiqvitatem. Consideretur, (1) qvàm, per magnam licet scriptoris incogitantiam id factum, indignum Deo & blasphemiæ proximum sit, sanctissimo Numini, sceleratissimum illud Sodomitarum flagitiosissimorum ad Lotum, tunc in ipso libidinis τῆς παρὰ φύσιν œstro pronunciatum dicterium imputare. Sc. Sodomitæ illi ἀρρενοκοῖται conclamant contra innoxium Lotum: *Advena es, & tibi sumes partes judicis!* & hoc ita à Sodomitis dictum describsit Moses θεόπνευστος. E. *Deus ipse id dixit, quod illi impurissimi.* E. *Deus hoc approbavit:* qvin porrò: *Sodomitæ impurissimi judicarunt, non esse sustinendum judicium vel consilium Loti, velut extranei.* E. *in Ecclesiâ peregrina judicia sunt submovenda.* Scilicet aut Ecclesia fuerit Sodoma, aut illud cadaver consequentiæ, à corruptissimo Sodomitarum præjudicio argumentari ad jus Ecclesiæ, & sanctissimo Numini mycterismos illos Sodomitarum sordidissimorum vindicare. Ut taceamus qvod *peregrina judicia*, primus omnium vetuerit Gratianus vid. Cod. Theod. cujus verbis utitur Pseudo Anacletus impostor.

§. 4. Consideretur 2. An conveniant illi Anacleto, qvæ multa habet Epistola de *sacrificatione Missaticâ*, & *ad hanc ipsis quoque vestibus, apparatu*, ac contradistincto *Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum ministerio*, de *Apostolicæ* Romanæ *sedis autoritate*, à qvâ dependeat constitutio judicum & judiciorum etiam secularium, usqve adeo, ut sine decreto & autoritate sedis Apostolicæ, nullus admittendus sit judex extraneus, qvalis ordinis sacri & ministerii ad Sacramentum Evchariſtiæ distinctio & absurdissima judiciorum provincialium dependentiæ assertio, longè infra tempora *Anacleti* auspicatoris seculi II. nec, nisi apud ignariſſimos rationarii illorum persecutionis temporum, imputabitur Episcopo Romano, in ipsis primordiis

& seculo felicissimorum temporum secundo. Qvin dubitare licebat, an ullo tempore tantum indultum Romanæ ambitioni, ut ex illius sedis autoritate constituti sint *Judices ejusdem provinciæ XII.* ad qvorum *judicium omnes civitatum causæ & negotia sint relatæ.*

§. 5. Consideretur 3. An Rationario illorum temporum conveniat ordinatio judicii cùm Ecclesiastici, tum secularis, & in his, de causis minoribus ad *Episcopũ & Metropolitanum*, Majoribus etiam ad *primatem* & Patriarcham, & sic ad *majorem sedem*, cunctis adeo *privatorum Christianorum causis, ad Ecclesiam deferendis, & in hac sacerdotali judicio terminandis:* unde illa, in qvâ se mirificè efferunt Baronius, ceteriq; Romanæ sedis Promachi, qvæq; ipsum jus Pontificium jam diu intravit, sententia: *Omnis oppressus liberè sacerdotum appellet judicium, & à nullo prohibetor: sed ab his fulciatur.* Solent pro tali Cathedrâ vel tribunali Clericis autoritate Apostolicâ divinâ legitimato, allegare contextum Paulinum ex 1. Cor. 6. à v. 1. ad v. 10. & illa inprimis verba tmematis 5. *Non est inter vos sapiens, ne unus quidem, qui possit decernere inter fratres suos!* Ceterum nihil ibi pro tali in Ecclesiâ tribunali, qvin contraria omnia. Mavult qvidem Apostolus Christianos tales esse, qvi cum nullo, fratrum inprimis, *experiantur judicio*, qvin illud ipsum τὸ κρίματα ἔχειν, Christianorum agnoscit ἥττημα s. *deliquium*, cum præstet ex regula MagistriMatth.5.39. Christianos ἀδικεῖσθαι & ἀποστερεῖσθαι, qvàm ἀδικεῖν & ἀποστερεῖν, vid. v. 7. §. Mavult, si vel tandem jure sit experiundum, pro ratione illorum temporum, Magistratuum, sc. infidelium, & ad hos non sine manifesto scandali, & calumniæ Christianismi periculo devolutarum contentionum s. ad victum vel seculi usus exeuntium causarum (τῶν βιωτικῶν) tales omnino litigatores potiùs κρίνεσθαι ὑπὸ τῶν ἀγίων, qvàm τῶν ἀδίκων. An autem sic tribunal in Ecclesiâ collocat, & Magistratum Politicum fidelem

fidelem absolutè in Christianorum causis exautorat? Hoc verò prohibent argumenta, pro arbitrorum potiùs, ex æqvo & bono causas disceptantium, vel justæ causæ suffragium manifestè accommodantium, qvàm judicum & judicii strictè proprieq; sic dicti qvalitate, militantia, qvale illud (1) de sanctis *mundum & Angelos malos*, in die novissimo *judicaturis* v. 1. 2. (2) De, sive sapientibus, sive, si tales desint, inferioribus, collocandis & in arbitrium seligendis (nec enim v. 4. dicit qvid facti: sed ex hypothesi, qvid juris) (3) Qvod sint illæ causæ Fratris contra Fratrem, in qvibus non ex stricto jure agendum vid. v. 5. 6.

§. 6. Consideretur 4. an illi persecutionis tempori, illi tunc Ecclesiæ Romanæ & ipsius Episcopi statui, illi veteri simplicitati & sanctitati, conveniat ambitiosa illa sententia, qvâ jubetur, *ut causæ omnes à judicio Episcoporum, Metropolitanorum, Primatum, Patriarcharum & Conciliorum* (s. *congregatione summorum*) *per appellationem devolvantur ad sedem Apostolicam* (Romanâ) cum ex historiâ constet *Episcopum Urbis Romæ deinceps habuisse saltem primatum*, ut (prout habent verba Canon. VI. Nicæn. in antiq. edit. Bibl. Vatican.) *suburbicaria loca & omnem provinciam suam solicitudine gubernet*, & suam adeo discretam à ceteris Metropolitanis ἐξουσίαν, sic ut singulis Canon præciperet τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι s. *privilegia servare*, & appellationes illas ad sedem (qvam vocant) Romanam, Episcopis, orientalibus inprimis & Africanis, simul sive ab obnoxiis qvibusdam seculo 3. & 4. præsumerentur, sive affectarentur, perpetuum fuisse signum contradictionis, nec alia magis causâ *Synodi Sardicensis* Canones ab orientalibus & Africanis Ecclesiis nō in Codicē Canonū orientalem & Africanum, nec adeò in Cod. univers. Ecclesiæ admissos esse, qvàm qvod in illis num. 3. & 4. continerentur Canones de appellationibus *ad Romanam sedem*, qvi, qvia è diametro Canonibus Antiochenis & Africanis (qvorum illi in Cod. orientalis

entalis & universalis Ecclesiæ extant) adversabantur, neqve Episcopis orientalibus neqve Africanis unqvam probabantur, nec ipsi Pontifices, qvorum in Jure Canonico tot extant super eo sanctiones, nedum Perronius & alii Pontificiorum primarii Sardicensibus Canonibus illam autoritatem conciliare potuerunt, mansitq́; & orientalibus & Africanis nullum odiosum magis nomen, qvàm *appellationis transmarinæ*. s. πρὸς περαματικὰ δικαστήρια ἐγκαλεῖν conf. Cod. Can. Eccl. Afr. Can. 28. 108. & ad hunc Balsamo.

§. 7. Tantò intolerabilius illud in hâc decretali, qvod illi appellationi ad sedem Romanam, autoritas Apostolorum, & ipsius Salvatoris mandatum, ingenti crimine falsi supponitur, & hîc illud intercalare Monarchicorum pro primatu Papæ carmen, occantatur: *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, cum tamen non solùm nihil inde pro appellationibus ad sedem Romanam: sed & à Petro nomine totius Collegii Apostolici respondente, ad solum Petri individuum & hoc posito, à Petro ad Petrum Petram, & qvidem exclusivè resp. aliorum Apostolorum, & multò magis à Petro ad Pontificem Romanum argumentari, ingens Paralogismus sit. Pulchrè Augustinus tom. 10. serm. 13. ad v. 16. *Unus* Petrus pro *multis dedit responsum. Unitas in multis. Simoni nomen Petri est impositum, ut ea figura significaret Ecclesiã: quia CHRISTUS est PETRA, Petrus, populus Christianus. PETRUS à PETRA, non PETRA à PETRO, quomodo non à Christiano Christus: sed à Christo Christianus. Tu es*, inqvit, *PETRUS, & super hanc PETRAM, QVAM CONFESSUS ES, dicens: Tu es Christus Filius Dei viventis id est, SUPER MEIPSUM FILIUM DEI VIVI ædificabo Ecclesiam meam. Super ME ædificabo TE, non me super TE. PETRUS ædificatur super PETRAM, non PETRA super PETRUM. Idem Petrus à Petrâ cognominatus beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus principatum*

tum tenens, continuò post Satanas *appellatur*. Ita & Chrysost. hom. LV. exponit illud, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ per ἐπὶ ταύτῃ πίστει τῆς ὁμολογίας i. e. *super hâc fide Confessionis ſ. quam confessus es*, conf. Matth. 16. 23.

§. 8. Consideretur 5. qvod in hâc Epistolâ multâ citentur ex Epistolâ 1. Clementis, ipsissimis verbis, qvæ leguntur in illâ Clementinâ per Ruffinum translata. Qvomodo autem Anacletus ineunte seculo 2. iisdem prorsus verbis Latinis uti potuit, qvibus usurus erat Ruffinus demum seculo 4. exeunte. Conferantur qvæ utrobiq; habentur de comparatione Ecclesiæ cum navi. Translatam autem Clementinam per Ruffinum, concedunt Pontificii, Staplet. Peresius, Crabb. & Bellarminus ipse l. 2. de R. P. c. 14. Fortè excipere nonnemo poterat à Ruffino transscriptam illam particulam ex Anacletinâ in Clementinam: sed nec verisimile illud de Ruffino, nec ille mos legitimorum Interpretum, fatente Turriano l. 5. c. 24. 663.

§. 9. Consideretur deniqve, qvod Autor Epistolæ audacter se successorem Clementis velut prædecessoris nominet. Constat autem, ab antiqvissimis Patribus sive Anacletum planè omissum sive Clementi antepositum. Ita in ep. qvæ adscribitur Ignatio: ita in Irenæo l. 3. adv. hæres. c. 3. Niceph. Juon. juxta qvos Petro & Paulo fundantibus Ecclesiam Romanam successerint 1. Linus 2. Anacletus 3. Clemens 4. Evaristus, qvomodo & Euseb. histor. Eccles. l. 3. c. 12. *Cum Anacletus*, inqvit, *duodecim annis Ecclesiam rexisset, Anacletum secutus est Clemens*. Epiphanius autem hæres. 27. enumerans ordine Pontifices Romanos, nullius meminit Anacleti, sive ante, sive post Clementem, nisi fortè Cletus fuerit idem individuum qvòd Anacletus: unde qvidam qvi numerant Anacletum, tacent de Cleto, & contra, qvi hunc, tacent de illo, ceterùm etiam sic præponendus erat, qvia Epiphanio Cletus ante Clementem: sed & Tertull. alicubi & Hieron.

eron. distingunt Cletum & Anacletum: ac interponunt Clementem. Apparet adeò hic qvoqve grande dubium, qvod nullum Patribus fuisset, si hanc pro verâ Anacleti illius vetusti Epistolâ, decretalem habuissent, ut adeo à posteriori probetur inde, hanc Anacletinam Patribus pro genuinâ Pontificali Anacleti illius non agnitam.

§. 10. Tot characteribus licet spuria & supposititia probetur Epistola, citant tamen velut Anacleti genuinam & contra nos urgent Pontificii e.c. Peres. de trad. fol. 89. ut probet, *Epistolam 1. Clementis Fratris Domini genuinam esse*: Pigh. hier. l. 6. c. 6. Staplet. relect. controv. 3. q. 7. concl. 1. ut probent, *licitum ex toto orbe appellare ad Rom. Pontificem.*

§. 11. Neqve id solùm: sed & in Jure Pontificio, velut genuina Anacleti illius antiqvioris Pontificalis Epistola & sub ejus nomine allegatur. Ita dist. 93. c. 10. ita caus. 2. q. 6. c. omnis oppressus, citatur Anacleti ep. 1. pro probando *jure appellationis ad sedem Romanam.* Ita Caus. 12. q. 2. c. *Qui abstulerit* caus. 17. q. 4. c. 18. *qui rapit.* Ita c. 25. q. 2. c. 1. allegatur decretum Anacleti de *privilegiis Ecclesiarum & sacerdotum* ex ep. 1, & illud ex eâdem Pseudo-Anacleti jam supra notatum: *Leges Ecclesiæ Apostolicâ autoritate firmamus, & peregrina judicia submovemus.* Nec minùs dist. 1. de consecr. c. 59. de ordine assistentium presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, sacrificante Episcopo, allegatur epistola 1. Anacleti, & ex hâc illa verba: *Episcopus Deo sacrificans testes secum habeat.* Notari tamen meretur, qvod nullum in illâ, qvæ sub Anacleti venit nomine, Epistolâ 1. vestigium pro Missis privatis, qvin contraria omnia, unde l. jam allegato: *Episcopo sacrificante, peractâ jam consecratione*, inqvit, OMNES COMMUNICENT, *qui Ecclesiasticis noluerint carere liminibus.* Ceterùm nihil inde pro antiqvitate hujus Anacletianâ, cum nec ipsarum Missarum privatarum adeo magna in Ecclesiâ

clesiâ pontificiâ sit antiqvitas, de qvâ consulti olim ab immortalis glorioſæq; record. Electore Saxone Friderico, per legatum hâc fine Witebergam Cancellarium BELERUM Theologi, eodem, qvo Witebergæ primò omniũ Missas privatas, abrogarant, anno 1522. responderunt: *Paulò ante 200. annos invaluisse.* Vid. tom. 2. op. Lat. Luth. p. 470. 476. Nec pro antiqvitate facit sacrificii antiqva mentio, nec inde pro sacrificio Missatico papistico militat solida qvædam ratio: cum in celeberrimis omnium Patrum, etiam posteriorum, linguis, fuerit qvidem sacrificium: sed non tale Missaticum Papisticum: Martyrum commemoratio: sed non à sacerdote, qvi sacrificat, invocatio, nedum Missarum votivarum in honorem certorum sanctorum celebratio: pro defunctis oratio & oblatio, sed non talis, qvæ supponeret purgatorium: formula Liturgiæ s. Missæ: sed nulla compositionis Apostolicæ, nec una certa: sed in oriente æqvè ac Occidente varia, nedum ille Canon Missæ, qvem tempore Gregorii M. recens aliqvis Scholasticus composuerat, qvo nec Augustinũ, Anglorum Apostolum à Virgilio Arelatensi a. D. 601. ordinatũ obligare Gregorius M. voluit. Sed satis de 1. Anacleti.

Anacleti Epistola II.

§. 1. Hanc, velut Anacleti illius sanctioris (si qvis unqvam talis, sub hoc nomine, primo secundove seculo Episcopus vixerit) genuinam, & antiqvissimam adeò, *pro primatu Petri* Gregorius de Val. an. fid. l. 2. c. 9. probaturus: *Jacobum Apostolum, Episcopum Hierosolymitanum non à Christo: sed Apostolis*, & ipso Apostolorum Principe *Petro* ordinatum, ipsaq; sic *prærogativâ Petri*, qvem prout Christus suis manibus baptizaverit, ita *solum quoque immediatè Episcopum ordinaverit*, sic ut ceteri *Apostoli à Petro episcopalem consecrationem acceperint, & ipse adeo ordo Majorum sacerdotum* i. e. *Episcoporũ, à Petro cœperit*, Bellarminus l. 1. de

R. P. c. 23. allegant, ut ita Primatus Pontificis Romani, & eidem superstructus Papatus, ab ipsa primi vel secundi seculi antiqvitate fulgidissimaq; sic autoritate procedat.

§. 2. Neqve aliter, aliove fine, qvàm roborandi primatus illius, asserendæve uni R. Pontifici illimitatæ immensæq; illius potestatis (in Ecclesiam qvidem, *directe*, & hujus, vel ἀναμαρτησίας *s. infallibilitatis* in statuendis & definiendis, qvæ spectant articulos fidei, vel *jurisdictionis*, in omnes totius orbis Episcopos imo fideles omnes qvod attinet & forum conscientiæ & externam disciplinam: in respublicas verò, prout & Bellarmino, contradicente qvidem: sed deinceps, Romæ retractante, Barclaio, visum, *indirecte*, *tanta* tamen, ut de Regnis, imperiis ipsisq; capitibus Regum, Imperatorum, & principum qvorumvis statuere, formidandos Regum apices qvorumvis audaciæ exponere, ac subditos juramento fidelitatis possit absolvere) toties, prout superior prima, ita hæc secunda Anacletina allegatur in Jure Pontificio.

§. 3. Ita pro *primatu sedis & Ecclesiæ Rom.* ac *primo in Ecclesiâ Pontificatu Petri*, à qvo, ipsaq; sic *sede Romanâ* omnis *ordo sacerdotalis cœperit*, allegatur hæc *Pseud-Anacletina*, dist. 21. Can. 2. *in novo* pro *autoritate Pontif. Rom. in omnes fideles* dist. 45. c. *sane percussor*, pro *ordinatione Episcoporum ex autoritate Apostolicâ*, & ejus eminentiâ *præ ordinatione aliorum Presbyterorum & Diaconorum* dist. 64. c. 2. *ordinationes Episcoporum* dist. 67. c. 1. *Reliqui Sacerdotes*, pro *sacrâ unctione exhibendâ in ordinationibus Episcoporum, ad exemplum Prophetarum & Regum* V. T. dist. 75. c. 1. pro *depositione summorum sacerdotum, etiamsi* exorbitantium *soli Deo reservatâ, mortalibus omnibus sive Clericis sive populis spiritualibus denegatâ* dist. 79. c. ult. *Ejectionem verò summorum sacerdotum sibi Dominus reservavit*, pro *eminentiâ Episcopi præ Presbytero*. qvod hîc in *modicâ civitate, castello vel villâ* etiam habitare possit:

possit: ille autem non nisi *in urbe honorabili*, dist. 80. c. 3. *Episcopi non in castellis*, conf. qvoqve dist. 84. c. 6. *porrò Mosi*, pro *Clemente prædecessore Anacleti*, & ab illo & Apostolis *renovatâ provinciarum orbis terrarum divisione*, ipsaq; (1) *Patriarcharum & primatum*, (2) *Metropolitanorum*, *Archiepiscoporum* (3) *Episcoporum*, (4) *Presbyterorum* immani distantiâ, & subordinatione, ita ut *Metropolitani & Archiepiscopi obedire teneantur Patriarchis & primatibus*, nec horum sibi *nomen* & *honorem*, velut longè transcendentem, arrogare, qvin teneantur *Archiepiscopi ad primates appellare*, de *institutione*, item, illorum juxta morem Gentilium vel *Judicum secularium*, qvoad loca, sic ut *Archiepiscopus collocetur* in *Metropoli*, in qvâ sederit antea *judex minor*, *licet major comite*. conf. dist. 99. c. 1. *provinciæ*, iterum, pro *summis sacerdotibus ab omnibus fidelibus populis portandis*, *à solo Deo judicandis* conf. caus. 2. qvæst. 7. can. 15. *Accusatio quoque*, & cũ hoc, ac superiori dist. 79. c. *Ejectionem* dist. 40. c. 6. Si Papa. Notat Hieronymus Montanistas, qvod *ordine primo* habeant *Patriarchas*, & hos primos *de Pepusâ Phrygiæ*, tertio demum loco *Episcopos*, cum *apud Catholicos Episcopi Apostolorum locum teneant* ep. 54.

§. 4. Apparet inde, licet fortè cum alibi, tum in allegatâ hac Anacletinâ, dentur qvædam tolerabilia, vel in ipsis unde citantur Autoribus, Conciliis & Patribus laudanda, totum tamen illud ad roborandum undiqvaq; illum primatum, eidemq; antiqvitatis & autoritatis sanctioris pallium imponendum, fundandumq; sic Antichristi Regnum, & immensam illam ambitionem unius, in ipsum *templum Dei* sibi Cathedram autoritatemq; Dei sumentis, non sine multiplicatâ blasphemâ hinc inde accommodatione, conspirare, & sic per misturas qvasdam veri potentiùs fallere, qvod impulit olim magnum nostrum Lutherum ut faceret, qvod Roma, si eò deferri vivus potuisset, tunicâ molestâ, sine dubio, ultura vel punitura fuisset. Factum ipsum ex Pontificiis breviter describit Cochlæus acerrimus Lu-

theri adversarius in l. de act. Luth. ad a. 1520. *Lutherus factus audacior, facinus attentavit, atque etiam perpetravit, sanè audacissimum, & omnibus retro seculis inauditum. Quippe sacros Canones, & sanctorum Patrum decreta, totumq; Jus Pontificium, simul cum Bullis papalibus literisq; & sigillis indulgentiarum aliorumq; indultorum papalium publicè damnavit ad ignem & combussit*, ex nostris Matheſius in hiſtor. Luth. Chriſt. Matth. in Theatro hiſtoriæ l. 4. *Lutherus*, inqvit, *cum hactenus Papæ autoritatem nequaquam violare voluisset, arbitratus, ipso insciо quæstores Indulgentiarios abuti sacrâ potestate, postquam se anathemate ab eo peti libros q; suos exuri intellexit, tanto Zelo est inflammatus, ut LEONEM prædicaret esse Antichristum, ac Diploma ejus, Jusq; ipsum Pontificium Witebergæ d. 10. Dec. (a. 1520.) projiceret in flammas, addens illud dictum Samsonis Heroicum:* Qvemadmodum fecerunt mihi, sic feci eis. Nihil attinet, illius facti rationem allegare, qvod & à Chytræo, Matheſio & aliis noſtratibus factum, & ab ipſo Lutheро contra Pontificios cenſores peculiari ſcripto eſt legitimatũ.

§. 5. Redimus ad *Anacletinam* ſecundam & de hâc ἐπικρίσιν noſtram. Et in Jure qvidem Pontificio nullũ ex hâc Decretali allegatum ſolidè commendare poſſumus. Sunt enim partim manifeſtè Myſterio ἀνομίας, & Antichriſto patrocinantia, portasq; bipatentes pandentia, partim, utcumq; non improbanda, ſub ipsâ tamen dictatoriâ, qvâ proferuntur autoritate, ſordidiſſimis jam olim potentiſſimisq; meretricibus *ſedi papali* inſeſſæ, ex tantâ antiqvitate, & decernendi ſic poteſtate, robur & præſidiũ, accommodantia, qvale, qvod habetur diſt. 45. c. 18. *ſanè percuſſor ille dicitur Doctor, qui conſcientiam percutit infirmorum.* Reſpectus ſine dubio ad Canones Apoſtolicos 1. Tim. 3. 3. ubi reqviritur Epiſcopus vel *Presbyter* μὴ πλήκτης. Præmittitur c. 17. ex Origene, ſententia: ſacerdotes nec *ſeveritatis*, præbendo ſe *nimis benignos erga delinquentes*, nec *graduum correptionis*, ex lege Chriſti Matth. 18, 15. immemores eſſe debere, ſic ut ſi viderint fratrem

delin-

delinqventem, *primò secretè conveniant, post, adhibitis 2. vel 3. testibus & si vel sic contumax maneat, de Ecclesiâ expellant.* Tale qvod caus. 6. q. 1. c. 1. decernitur ex hâc Anacletina, sc. qvod, qvia sacerdos (juxta Canones Paulinos verè Apostolicos) reqviritur ἀνεπίλημπτος vel ἀνέγκλητος s. *irreprehensus & inculpatus* 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 6. non alius contra sacerdotem admittendus *accusator* sit, qvàm æqvè *irreprehensus & inculpatus.* Obstat tamē Canon. 169. Cod. Univ. Ecclesiæ, ubi distinguitur inter μέμψιν ἰδιωτικὴν & ἐκκλησιαστικὴν, & in hâc qvidem æstimatur *accusatoris persona:* in illâ minimè, ut adeo ibi admittantur accusatores qvicumq; nec reqviratur ἀνέγκλητος s. inculpatus, prout talis reqviritur Episcopus: hic nonnisi omni exceptione majores admittantur vid. Const. can. 6. Cod. univ. Eccles. 169. & 199. Chalced. 21.

§. 6. Apparet, qvantum in hâc Anacletinâ præsidium Papismus sibi figat, qvo universo hunc dejicimus, dum non minùs hanc, qvàm primam, recentiorem longè, ab aliqvo Romanæ curiæ parasito confictam, Anacleto illi, vetustissimæq; antiqvitati suppositam, spuriamq; sic pronunciamus, idqve probamus 1. excollatione Exordii, cum *Damasi Papæ epistolâ ad Orientales Episcopos contra Appollinarem Antiochenum, & Timotheum ejus discipulum hæreticos* conf. cum Anacleti 2. illa Damasi, qvoad exordium utriusq; & hoc fine *Theodoretus* Hist. Eccles. l. 5. c. 10. sed & cetera ex variis variorū Conciliorū scriptis malè consuta, ostendunt Autorē impostorē eundemq; infra seculū 4. 2. Multa in hâc decretali de *Ordinationibus distinctis Episcoporū & Presbyterorum,* qvæ non conveniunt Canonibus verè Apostolicis 1. Tim. 3, 7. 10. c. 4, 14. c. 5, 22. 2. Tim. 1. 6. c. 2. 2. Tit. 1. 5. 6. 7. Act. 13. 3. c. 14. 23. & praxi illorum temporum, ipsiq; *Anacleto* glorianti se ab ipso *B. Petro Apostolorum Principe ordinatum.* Eqvidem id non malè, *Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum non fieri debere, citra assensum civium & aliorum sacerdotum:* cete-

rùm, nec ad Presbyteros & inferiores id restringendum, nec inter *Episcopos & Presbyteros*, immane qvantum, discrimen ubiq; erat andum, nec Ordinatio Presbyterorum Episcopo in contradistinctione Presbyteri, sic vindicanda erat exclusivè, ut præter, nudum simplicemq; saltem assensum, nihil juris amplioris habeat Presbyterium Ecclesiasticum, qvàm qvicunq; Laicus, in potestate & exercitio ordinationis. Ita χειροθεσία in ordinatione Episcoporũ præcipitur, in Presbyterorum & Diaconorum, omittitur, contra praxin Apostolicam, conferatur supra l. alleg. Malè qvoqve *Chrisma* in ordinatione Episcopi necessarium allegatur, & supponitur, virtutem *S. Spiritus invisibilem sanctificantem, sancto chrismati esse permixtam:* absurdè magis pro tali unctione, allegantur exempla unctorum in V. T. Prophetarum & Regum, & praxis Mosis ac Apostolorum, cum tamen qvoad morem unctionis in ordinationibus, nulla lex, & nullus canon præfulgeat Apostolicus, ab unctionis autem ritu in consecratione summi sacerdotis V. T. ceterorumq; tunc sacerdotii Candidatorum, ad obligationem talis unctionis in ordinationibus Episcoporum Ecclesiæ N. T. non magis valeat illatio, qvàm ad obligationem mactandi in sacrificium juvenci & arietum, & arietis sanguinem, auriculæ, pollicíq; dextro in manibus & pedibus applicandum, ceteraq; illorum rituum adhibenda, de qvibus videatur Moses Exod. 29. 11. 20. & seqq.

§. 7. Probamus 3. Decernitur in hâc Epistolâ, sacerdotes à solo Domino esse judicandos, velut omni judicio, etiam Ecclesiastico, in terris longè superiores, qvia sc. sunt servi Domini. Episcopos adeo in terris portandos, & qvibuscunq; immergantur criminibus, neqvaqvam judicandos. 4. Fit in eâdem Epistolâ mentio *Patriarcharum & primatum*, velut synonymorum s. qvi eandem regiminis & autoritatis formam teneant sub diverso nomine, contrarium docente Isidoro Hispal. orig. l. 7. c. 12.

sed &

sed & illa cetēraq; Metropolitanorum & Archiepiscoporum nomina in tali ordinis potestatisq; subordinatione, illis temporibus imputare, insignis Anachronismus est, cum hæc nomina, longo post illa tempore in Ecclesiam intrarint. Deduxit Blondellus, Primatum mentionem primam occurrere in Conciliis Sardicensi & 2. Carthag. ad a. D. 390. & primates appellatos non solùm Diœceseos talis e. c. totius Africanæ Rectores: sed & singularum Provinciarum Africanarum Episcopos, sive hi in Metropoli residerent, sive alibi, qvo fine allegatur Augustinus. Patriarchas autem, judicio Hieronymi, ep. 54. ante annum D. nullos nominatos, nisi inter Hæreticos: Socrates tamen primus videri *Patriarchatus in Ecclesiâ* origines à Constantinop. 1. conf. lib. 5. c. 8. & in Conc. Chalced. Leo Romanus appellatur *Patriarcha*. Sirmondus autē Justiniani demū ævo, *Patriarcharū* nomen inter Ecclesiasticas dignitates freqventari cœptum probat. Peculiare Gothis, ut Episcopos suos *Patriarchas* appellarent, asserit Baron. ad a. D. 533. §. 365. Probamus (5) in hâc Epistolâ legimus, LXX. Discipulos electos ab Apostolis, qvos tamen, æqvè ac Apostoli, immediatè à DN. JESU electos, vocatos, instructos, & ante resurrectionem non in orbem universum: sed solas civitates Judææ, legatos constat ex Luc. 10. v. 1. 2. & seqq.

§. 8. Probamus 6. Dantur in hâc Anacletinâ ineptæ illationes, & perversæ locorum scripturæ sive expositiones sive accommodationes, qvalis e. c. (1) *Sacerdotes* i. e. *Episcopi* à solo Deo sunt judicandi, qvia *Christus per se ipsum & non per alium flagellis institores templo* ejecit, & *nummulariorum mensas disturbavit*. Ioh. 2. 14. 15. Ergone, Episcopi sunt tales καπηλοὶ, & Collybistæ? (2) Sacerdotes non sunt judicandi: sed soli divino judicio relinqvendi, qvia scriptura ait: *Deus in medio Deorum decernit*: & dicit: *Dij estis & filij excelsi omnes*. Ps. 82. 1. 6. At qvid ibi pro sacerdotibus? (3) Non sunt in terrâ judicandi, qvia *Deus*

est

est *Deus ultionum*. *& Deus ultionum liberè agit*, qvin Deus promiserit, se non *dilaturum ultionem servorum*. Allegantur loca ex Ps. 94. 1 Luc. 18. 7. 8. At qvid in loco 1. peculiare pro sacerdotibus & horum privilegio terrestri, ubi *omnibus superbis & impiis* ultio & horrenda retributio à *Deo ultionum* intimatur? Qvid in altero, ubi liberatio *electorum Dei* noctes atqve *dies incessanter supplicantium & vociferantium* promittitur: qvid inde accrescit sceleratis sacerdotibus? Talis (4) Columnæ sanctæ Dei Ecclesiæ, qvales sunt Apostoli & successores eorum, non sunt facilè commovendæ, qvia qvi *vehementer premit lac, elicit butyrum, & qui nimis premit nasum, exprimit sanguinem* Prov. 30. 33. Talis (5) Papistica planè & antiqvissimis Patribus insolens detorsio loci Matth. 16. 18. de *Petro* & *Petrâ*, etsi hoc rectè agnoscit: *Ceteri Apostoli cum Petro pari consortio honorem & potestatem acceperunt*. Talis 5. qvod locum Isaiæ c. 10. 20. 22. 23. de *consumatione præcisâ exundante in justitiam*, qvia sc. Apostolus Rom. 9. 28. id exprimit per λόγον συντετμημένον, ipse *Pseudo Anacletus* ingenti fallaciâ dictionis intellexit de λόγῳ hypostatico, ipsoq; sic *verbo* Dei filio, non *secundum Deitatem*: sed *susceptæ carnis dispensationem* deminuto, vel *abbreviato*, inq; hâc commentatione, non minùs, qvàm in alterâ *de sacerdotibus in nullo foro humano judicandis*, maximam Epistolæ partem insumit: sed & non convenit vero Anacleto, Apostolorum Discipulo, & à Petro ordinato Presbytero, talis oratio: *Hæc ab antiquis*, hæc ab *Apostolis*, *hæc à sanctis patribus accepimus*. Qvinam enim illi sancti Patres, à qvibus acceperit tales ordinationes vel doctrinas Anacletus, ipse immediatus Apostolorum Discipulus, certè, si, prout qvidem agnoscit, à *Petro Presbyter* est ordinatus? Atqve hæ & plures aliæ παραδηλώσεις probant, hanc Epistolam Anacleti antiqvissimi illius & sanctioris Episcopi genuinam tantæq; antiqvitatis non esse.

III. Ana-

III. Anacleti Epistola.

§. 1. Citatur hæc Epistola à Bellarmino, ut probet (l. 2. de R. Pontif. c. 4.) *Petrum Romæ ad mortem usque Episcopum fuisse*, qvia sc. Anacletus ille Clementis I. proximus successor docuit, *propter Petri sedem Romanam Ecclesiam, esse omnium aliarum caput* & (ibid. c. 14.) *R. Pontificem Petro in Ecclesiastica Monarchiâ succedere*, Costero (Apol. part. 2. p. 48.) pro *prærogativis Romanæ Ecclesiæ*. Ceterùm idem de hâc judicium, qvod de superioribus, sc. *supposititiam illã esse, & spuriam*, non, illius ætatis & *Anacleti* genuinam. Sed & pro Pontificis Rom. primatu undiqvaq; sive directè sive indirectè stabiliendo, allegatur in Jure Canonico dist. 22. can. 2. *Sacrosc. Rom.* dist. 80. c. 3. *Episcopi non in Castellis* caus. 2. q. 7. can. *sententia*, qvæ excutere minutiùs, nunc supersedemus.

§. 2. Rectè de hâc Epistolâ judicavit Vigorius: *Si*, inqvit, *ineptias, quibus illa Epistola farcitur, consideres, facilè deprehendes, cuivis alij competere potiùs, quàm Anacleto.* Idem autem valebit & de prioribus. Et nihilominùs Turrianus suo more ὀνοσκολῶν, *Epistola*, inqvit, 3. Anacleti *referta est vestigiis, & odore illius ætatis, quâ scripta est.* Fatemur qvidem, odorem suæ ætatis illam satis explicare, sed non ὀσμὴν εὐωδίας, & illam fragrantiam ætatis Apostolicæ, intra qvam & vixerit & ordinatus à Petro Presbyter Anacletus hic fuerit, imò nec odorem sanctioris Pontificis: sed impurissimi scurræ, qvi vel post 780. C. annum vixerit.

§. 3. Ut nihil superiorum repetamus, c. c. de *Anacleto ante Clementem*, de multis ex versione *Ruffini* & *Clementinâ* 1. in hâc Anacletinâ contentis, qvæ ostendunt compositionẽ post Ruffini ætatem, continentur in illâ longè plurima, sive ætate longè inferiora, sive veræ vetustati repugnantia, sive ipsâ sesqvi

pedali portentositate verborum, Autorem ætatemq; inferiorem, saltim, non illum Anacletum sanctiorem Romanum Episcopum, solidè probantia.

§. 4. Exempla sunt in promtu. Illud enim, qvod & superior & hæc ad nauseam usqve inculcat Pseud-Anacletina: *Ne quis Episcopus in castellis aut modicis civitatibus constituatur, ne vilescat ibi nomen Episcopi: sed ordinandos ibi Presbyteros per Episcopos*, annon ex Sardicensi Concilio c. 6.? Prout illud: *sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis: sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum populi Christiani gregem, sicut ipse B. Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, qvod & transivit in jus pontificiũ dist. 22. *sacros. Romana*, ex Concil. sanè Rom. 1. sub Gelas. exeunte seculo qvinto. Et qvàm cetera portenta Monarchica vetustæ illi & sanctiori antiqvitati ignota, scripturæ contraria, in sanos sermones Jesu Christi sunt injuria?

§. 5. Insumitur qvippe maxima pars Epistolæ, disputationi de Primatibus, super qvibus *Anacletum* qvidam consuluerint, & *Apostolicæ autoritatis decretum postularint, aut si esse deberent, aut non*? Qvàm hæc conveniant, qvoad posteriora, Latinitati: qvoad priora sanctitati, simplicitati, qvin & calamitati illorum sævitiæ temporum,

claras quibus abstulit urbi
Illustresq; animas impunè & vindice nullo

Tyrannus, utrum sc. inter illas Carnificum sicas, probabile, usqve adeò de primatibus Ecclesiasticis Romæ Anacletos solicitare? Cordatus Lector & Temporum scrutator judicet.

§. 6. Ita illud: *Episcopi Domini, Apostolorum locum tenent.* Atq; Servator Apostolos, Petrus Episcopos DOMINOS, & exemplo & sermone prohibuit, acclamavitq; illud: *Vos autem non sic!* Matth.

Matth. 20. 26. Luc. 22. 25. 26. 1. Pet. 5. 2. 3. Inusitatum in sacris illud Anacletinũ: DOMINUS PETRUS, DOMINUS PAULUS. Sic qvanta ταυτολογία, tum in præcepto de *Episcopo*, non *ab uno*: sed *à pluribus Episcopis* ordinando, (cujus totiens supra facta mentio) tùm in eâdem Epistolâ proximisq; lineis? e. c. *Episcopi non in castellis aut modicis civitatibus debent constitui*: & paulò post: *Episcopus non ab uno: sed pluribus Episcopis debet ordinari, nec ad modicam civitatem constitui.* Sic qvâm barbarum indignumq; Anacleti seculo illud: *Episcopus ad honorabilem urbem est titulandus, & denominandus?* Sic illud: *Episcopi, qui primas civitates tenent, à nonnullis Patriarchæ vocantur*, qvàm in Catholicâ, sit infra seculum 2. constabit ex censuris superioribus. Et tamen in his inprimis ambitiosis nominibus *Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum*, qvorum duo priora conceduntur Episcopis illarum urbium, qvæ *præfatis ac priscis temporibus primatum urbis tenuere*, posteriora ceteris urbibus, occupatur magna Epistolæ pars.

§. 7. Sic, ratio, qvæ tali discretioni Primatum, Patriarcharum, & Archiepiscoporum Metropolitanorum prætenditur; *quia hæc eadem & leges seculi in suis continent Principibus*, qvàm, præter odiosam tavtologiam, ostendit μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος sc. à foro ad chorum, à regimine mundano ad Ecclesiasticum.

§. 8. Pares ineptiæ, qvæ leguntur sub Anacleti nomine his verbis: *Mittimus vobis, primas civitates conscriptas in quodam tomo, quæ à s. Apostolis Primates s. Patriarchas acceperunt.* At licet non defuerint ipsorum Episcoporum tres gradus, ut sc. essent Episcopi civitatum, Metropolitani provinciarum, Exarchi diœceseon (qvibus integræ multarum suberant Provinciarum & diœcesium provincialium Ecclesiæ, pluresq; sic primates vel Metropolitani provinciarum) qvalis diœcesis e. c. *Orientalis* conf. Concil. Antioch. 2. *Africana*, conf. Justin. Novell. de Afr. Eccl. &

Eccl. & l. un. §. 5. & 7. C. de off. præf. præt. Afr. & Photii Nomocanon c. 5. conf. Cod. Can. Univ. Eccl. Can. 187. Chalced. 9. qviq; tandem exiverunt in qvinarium numerum, conf. Annibal Fabrotus in not. p. 1419. absurdissimè tamen ordinatio talis adscribitur temporibus Apostolicis vel ipsis Apostolis. Notetur qvoqve intra pauculas lineas contradictio insignis: *sacrosancta Romana Ecclesia non ab Apostolis primatum obtinuit:* seqvitur paulò post: *B. Petrus & B. Paulus sanctam Romanam Ecclesiam consecrarunt, aliisq; omnibus urbibus in universo mundo eam suâ præsentiâ ac venerando triumpho prætulerunt.* Ita ergo Primates s. Patriarchæ sunt ab Apostolis & non sunt: & si Primatus Rom. Ecclesiæ non est ab Apostolis, & tamen est à Petro & Paulo, hi, Principes ceteroqvi Apostolorum, Apostoli non fuerint.

§. 9. Sic: *soli Petro*, dicitur, *concessum*, & *ipsos inter se idipsum voluisse Apostolos, ut unus reliquis omnibus præesset Apostolis*, & *Cephas* i.e. *Princeps & CAPUT diceretur Apostolatus*, & paulò post hæc Pontificalia loqvitur Pseud-Anacletus: *Si quæ causæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad hujus sanctæ sedis apicem eas, velut ad CAPUT, referte.* Scilicet ex כֵּיפָא, voce Syrâ s. *Cepha*, nomine Petri, Joh. 1, 42. Gal. 2. 9. per allusionem vel prodigiosam ignorationem etymologicam, & dictionis fallaciam, inferre voluit κεφαλήν, & inde Petrum, Apostolorum, Pontificem autem Romanũ CAPUT esse omniũ Episcoporũ & universalis Ecclesiæ, qvippe & *Petrus & cateri Apostoli hanc formam Ecclesiasticæ gubernationis* commendaverint tradiderintq; successoribus, velut optimã. Argumentatur Anacletus: *si inter Apostolos fuit quædam discretio.* E. multò magis inter *Episcopos*. E. debent esse *certi primates*, & certæ *primatum* vel *Patriarcharum sedes*, e. c. *Romana, Alexandrina, Antiochena*, & inter has una cæteris eminentior, imò ab *ipso Domino constituta, cardo, & CAPUT omnium Ecclesiarum*, sedes sc. Romana s. καθ' ἐξοχὴν Apostolica. Hæc inqvam portenta & argumenta

argumenta Monarchica cum vetustate comparata, facilè ostendunt ætatem. Et ubi in scripturis fundatur tanta inæqvalitas Apostolorum, qvanta in Papatu Patriarcharum vel Pontificis Romani & aliorum Episcoporum?

§. 10. Sic inter alia præcipitur, *ut Doctor Ecclesiæ, si à fide exorbitaverit, quidem sit à fidelibus corrigendus: sed pro reprobis moribus magis tolerandus, quàm distringendus*, & additur: *si quis hæc præcepta non observaverit, non tantùm infamis: sed & excommunicatus, atque alienus ab Ecclesia efficiatur. Quoniam necesse est ea vitia ferro abscindere, quæ aliis medicaminibus non sanantur.* Ita flagitiosissimis Doctoribus, præsens ex hâc Pseud-Anacletina patrocinium, qvippe qvos reprehendere est vitium ferro abscindendum. Tali sc. sanctione indigebat Romana sedes, flagitiosissimis Pontificibus graveolentissima.

4. EVARISTI EPISTOLA I.

§. 1. Epistolã hanc, *Evaristo* Episcopo ceu Pontifici Rom. Sec. II. malè suppositã, probaturi, notamus (1) præter pauciss̃ima, qvæ de *matrimoniorũ clandestinorum nullitate* confinxit ὁ ὑποβολεὺς, cætera *vel ê versione Vulgatâ* (nec aliqvando sine ingenti depravatione) & *Conciliis* petita, vel ex *Ithacij* adversùs *Varimadũ disputatione*, vel ex *Innocentij* vel *Isidori Hispalensis* scriptis transsumta esse, additâ ad finem, qvæ plagiarii imperitiam prodit, *mendosâ Consulatus nota*. Et tamen allegatur in Jure Pontificio & in adjutorium Papatus (prout non alio fine consarcinata qvondam) citatur dist. 93. c. 11. *Diaconi*, caus. 30. q. 5. *Aliter legitimum*, & à Bellarm. l. 2. de R. P. c. 14. pro asserendo P. R. primatu.

§. 2. Notamus 2. seqventia de supposititio testantia (1) inscriptio ad *omnes Ecclesias Africanas*, qvæ non convenit illi *rotionario temporum*. (2) Exordium planè suspectum, & qvod ostendit ingentem Metachronismum: *siquidem dilectio vestra*

normam secuta prudentium, ad sedem Apostolicam referre maluit, quasi ad CAPUT, quid deberet de rebus dubiis statuere, quàm usurpatione præsumere. Hic pro spuria, nec Evaristi, nec ætatis illius purioris, Epistolâ, tot ferè sunt argumenta, qvot verba. (3) A *Diaconis*, qvibus peculiare officium assignat, ut sint *custodes corporis Episcoporum*, contra *insidiatores*, statim prosilit ad legitimas nuptias, ne sc. legitimæ habeantur, nisi *ab ipsis, qui super feminam dominationem habent, uxor petatur, & à parentibus aut propinquioribus sponsetur, & suo tempore sacerdotaliter à sacerdote benedicatur.* Ubi qvis nexus, qvis stylus?

§. 3. (4) Imponitur Neonymphis, ut *biduo vel triduo castitatem custodiant, ut bonæ soboles generentur: sic enim filios non spurios: sed legitimos atque hæreditabiles generabunt.* Ita ergo post πυέλευσιν conjugalem, inq; statu conjugali, nulla foret castitas, & spuriorum plenus orbis, etiam ex sanctorum nuptiis. Sed & qvàm ista indigna illo seculo latinitas, & Evaristis illis minimè decora? Tale & illud: *Præcepta divina deserere, præsumtionem fieri, nulli dubium est.* (5) Qvantum autem scriptoris supercilium, & vanum habendi simulacrum, in omnes sic Ecclesias Africanas sibi arrogare Imperium? *Hæc cunctis recitanda per omnes Ecclesias Africanas scripta dirigite, ut inhibita coerceantur, de cætero verò caveantur talia per omnes Ecclesias.* (6) Sic locum Ecclesiastici 24. 1. 5. explicat de *sapientiâ increatâ & ἐνυποστάτῳ* s. ipso Filio. Contrà, vid. v. 8. etsi negare haut licet, qvin qvæ inde ab explicatione loci 1. Tim. 6, 16. seqvuntur in Epistolâ aliqvid auri contineant Catholici: sed ætatis posterioris.

5. EVARISTI Epistola II.

§. 1. Citatur freqventer in illâ parte decreti, qvæ obtinuit *causarum* nomen c. 2. q. 1. c. 20. c. 2. q. 7. c. 1. c. 2. q. 7. c. 21. Caus. 3. q. 2. c. 4. caus. 30. q. 5. c. 1. Notetur autem 1. suspecta inscriptio: *Omnibus per Ægyptum in Domino conglutinatis fratri-*

fratribus. 2. Contra expressam dispensationē Christi, non nisi ἐκτὸς λόγου πορνείας s. *extra casum fornicationis*, altero vivente, alteri nuptias prohibentis, in illo adeò casu non impedientis, est qvod habetur hîc sub Evaristi nomine: *Uxori non licet dimittere Virū, licet hic fornicatus sit, sic sc. ut alteri se, vivente eo, societ. 3. Episcopus inordinatus ab Auditoribus non est accusandus, quia pro meritis subditorum vita disponitur Rectorum, & tamen, Episcopus exquirere debet peccata populorum, & sagaci solicitudine unumquemq; probare.* Præter hæc illud unum insigne, de *præjudiciis vitandis, inprimis in judiciis Ecclesiasticis*, nec minùs centones, qvi prolixè ex scripturis Paulinis ad supplendam Epistolam adscribuntur, tales sunt, in qvibus, prout ipsas scripturas non nisi Infidelis reprehenderit: ita tot ac tantorum locorum prolixè descriptorum nexum & respectum ad scopum, nemo non jure desideraverit.

6. Epistola I. Alexandri

§. 1. Sub hoc nomine 3. extant Epistolæ, de qvibus nunc ordine paucula, qvæ in censum referenda, monemus.

§. 2. Citatur hæc prima à Bell. l. 2. de R. P. c. 14. ut probet, *Petrum* & adeo P. R. *Monarcham*: l. 4. de Euchar. c. 10. ut probet *mixturam vini & aquæ in sacro calice necessariam*, l. 3. de cultu S. c. 7. ut probet, *aquam lustralem valentem ad purgationem quorundam peccatorum, & fugandos Dæmones, benedictione rectè consecrari.*

§. 3. Supposititiam hanc probat (1) blasphema S. Scripturæ στρεβλότης e. c. loci Hebr. 9, 19. qvi sic applicatur: *si cinis vitulæ aspersus, sanctificat immundos, multo magis aqua sale conspersa, divinisq; precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat.* 2. Metachronismus ex dogmate SS. Trinitatis, cujus vocabula s. termini qvidam hîc reperiuntur, qvorum ætas longè posterior. 3. Er-

or. 3. Error Chronologicus. Data hæc Epistola *IX. Kal. Aug. Trajano & Heliano Coss.* qvod perinde ac si dixisset: *datam ad Calendas Græcas* i. e. nunqvam. Tales enim Consules simùl, nunqvam fuerunt, prout constabit Annales Baronii & Marianum Scotum consulenti. Frustra adeo sub tanta antiqvitate incedit hæc Epistola, utut sub tali Nomine allegatur qvoqve contra nos ex Jure Pontificio de consecr. dist. 2. *in sacramentorum* & c. 8. Nihil, caus. 2. q. 7. c. 16. c. 15. q. 6. si qvando q;.

7. Epistola II. Alexandri.

§. 1. Citatur hæc à Gratiano causâ 3. q. 1. ut probet: *Schismaticum potiùs esse, quàm sacerdotem*, qvi ab *auxilio sacerdotum se subtraxerit.* Commentitiam autem esse probat 1. ineptum verborum Dei apud Hoseam interpretamentum: *Peccata populi mei comedunt*, qvod autor Epistolæ explicat, de bonis sacerdotibus, qvi *preces & oblationes pro populo faciunt, atq; sic peccata populi quasi comedunt, dum sacrificando absumunt*, cum tamen aliter, & de comestione sacrificiorum pro peccatis, intellexerint Patres vetusti, & hi magno consensu. 2. Subscriptio temporis, qvo data memoratur Kal. Nov. iisdem, qvibus superior, Consulibus. Malè adeo allegatur, sub hoc nomine, dist. 94. c. 2. caus. 1. q. 1. c. 91. caus. 3. q. 1. c. 5. *Nulli dubium.*

8. Epistola III. Alex.

§. 1. Citatur hæc à Gratiano, ut probet *Carnales esse arcendos ab accusatione spiritualium:* caus. 6. qvæst. 1. c. summa iniqvitas. Spuriam autem probat 1. ipse *stylus* 2. Mentio Consulum talis, qvalis nulla legitimatur ex Fastis. Data memoratur Cal. Maji, Heliano & Vetere Coss. 3. translatio Vulgata, qvam seqvitur allegando. 4. Confessio ipsius Azorii in Inst. moral. tom. 1. l. 10. c. 28. Epistolas Alexandri I. apud omnes autoritatem constantem non habere. Docebit plura ipsa Collatio.

9. Sixti

9. Sixti I. Epistola.

§. 1. Hæc scripta (prout inscriptio habet) *ab Archiepiscopo Romanæ Ecclesiæ ad omnes Christi fideles*, duobus inprimis constat argumentis, uno qvod ad fidem, altero, qvod ad mores pertinet. Ibi articulus de *uno DEO in Trinitate, & Filio adeò non minore Patre*, contra inæqvalitatis assertores defenditur: & sunt qvidem in hâc Epistolæ parte Catholica omnia, qvale illud: *Aut fateantur* (hæretici illi) *Patrem & Filium unum: aut si solum Patrem Deum contendunt esse*, ergò illis *Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, non erit DEUS*, qvia scriptum est, *ante me non fuit alius Deus, & post me non erit alius.* At falsum posterius, qvod probat ex Ep. ad Rom. c. 9. 5. *Si enim Deus non est, cur Apostolus eundem Filium, Deum super omnia benedictum insinuat?* E. verum prius: nec desunt præter hunc ex Epist. ad Romanos, alia qvædam ex Isaiâ inprimis c. 43. 11. c. 44. 6. & 45. 6. loca *pro Unitate essentiæ divinæ* rectè adducta.

§. 2. Cæterùm, si paulò minutiùs in argumentis probantibus excutienda forent, qvæ justè desiderari possent, defutura haut essent, qvale (1) locorum Biblicorum qvorundam erronea planè lectio e. c. illa in loco Is. 45. 24. *Justitia & gloria ad eum veniet*, contra sensum, ac distinctionem fontium, & ipsius Vulgati. Sic ex c. 43, 10. allegatur: *Ego testis vester, dicit Dominus Deus, & puer meus tu, quem ego elegi*, cum in textu Prophetico legatur: *Vos testis mei estis, dicit Dominus, & servus meus quem elegi*: vid. qvoqve v. 12. ibidem. Sic ex c. 45. 14. legitur, ac si esset: *Tantùm in te est Deus & nesciebamus, & non est alius Deus præter te. Tu es enim Deus & nesciebamus, Deus Israel Salvator*: unde infert: *Quis est hic Deus, in quo esse dicitur Deus, præter quem non est alius Deus?* At ibi non dicitur *Deus esse in Deo*: sed *Deus in civitate Dei* s. *Ecclesiâ*. (2) Summorum fidei articulorum ex Apocryphis

libris s. illis, qvæ sunt ἀναγινωσκόμενα μὲν ἀλλ' οὐ κεκανονισμένα βιβλία, nec adeò ἐρείσματα, ἄγκυραι, καὶ ἀκροθίνια fidei nostræ, confirmatio, e. c. Filius consubstantialis & æqvalis Patri probatur ex locis Ecclesiastici c. 36. 1. 2. 4. & libro Baruch. c. 3, 36. 37. cum tamen neuter probet, etsi juxta Gelas. Cyzic. posteriori qvoqve usi Patres Nicæni, qvi tamen tam in hoc loco (etsi minore periculo) errarint, qvàm in illo Prov. 8, 22. ab Arianis objecto, à Catholicis, non de *Christo*: sed *sapientiâ Salomonis creatâ* intellecto, ut non meliore jure ex hâc Epistolâ Bell. l. 2. de V. D. c. 8. probare conetur librum Baruch esse Canonicum.

§. 3. In moralibus unus ille locus tractatur: *In ministrorum Domini accusatione, fides, vita & conservatio blasphemantium enucleatim perscrutetur*: ubi nec nexus & transitio ab argumento illo ad hoc satis apparet, nec stylus Latinitatis. Vix enim legeris *perscrutandi* vocabulum inter Deponentia communia s. passivè qvoqve significantia. Accedit tempus scriptionis, qvo data scribitur epistola 16. Kal. Maji sub *Adriano & Vero*, erroneum. Tales enim sub Episcopatu Sixti 1. nulli simul extiterunt, agnoscentibus id, Mariano Scoto, Baronio, & Surio ipso.

10. Sixti Epistola II.

§. 1. Hæc non solùm fastis consularibus iisdem (sub Adriano sc. & Vero data 9. Cal. April.) sed & ambitiosiùs mutata inscriptione, ipsoq́; argumento qvod partim est de Vasis sacris, partim de appellationibus suspectam se reddit. Inscribitur sic: *Sixtus Universalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus, omnibus Episcopis in Domino*, S. unde Baronius annal. ad. a. 142. n. 4. & Bellarm. l. 2. de R. P. c. 31. probare conantur: Pontificem R. jam seculo 2. Universalem vel *Universalis Ecclesiæ Episcopum appellatũ*: prout Gratianus caus. 2. q. 6. c. 4. *si quis vestrum*, probare vult ex hâc Epistolâ, *homines debere ad Rom. Pontif. appellare*, qvia sc. ita

jubet

jubet Sixtus: *Si quis vestrum pulsatus adversitatibus fuit, licenter hanc sanctam & Apostolicam appellet sedem, & ad eam quasi CAPUT suffugium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur. Ab icenim SANCTA SEDE à sanctis Apostolis tueri, defendi & liberari Episcopi jussi sunt, ut sicut eorum dispositione primitus sunt constituti: sic hujus sanctæ sedis protectione futuris temporibus sint ab omnibus perversitatibus semper liberi.* Ubi illud, *tueri*, passivè sumtum, non adeò urgebimus, cum & jam olim inter usu communia s. qvæ tam *passivè*, qvàm *activè* sumuntur, *Deponentia*, retulerit *Priscianus*, & *Varro* qvoqve sic sit usus e. c. *Romani à rusticis in bello tuebantur:* sed & Vitruvius ac Philander, ex qvo veterem inscriptionem communicavit Vossius l. 3. de Anal. c. 6. p. 34. sc. *S. P. Q. R. Imperium & Deorum nomine & militum fortitudine tueri ac regi.* Nec tamen vel sic latinè satis: *illi jussi sunt tueri.* Latinè magis *jussa esset* sedes Apostolica *tueri Episcopos.* Ita & illud qvod seqvitur de censurâ sedis Romanæ universali, tali: *si benè, benè, si gravè, gravè, si pessimè pessimè.* Sic omnes ferè lineæ ad nauseam usqve plenæ sunt *sede*, ac si sc. non constaret, qvando superbæ illud appellationis vocabulum, qvo se *sedes Romana* velut *universalem* in omnes orbis Episcopos, & *omnium Ecclesiarum caput* effert, incedere cœperit. Allegatur qvoqve in Jure Pontif. caus. 8. q. 5. pro probando: *Judicium Episcoporum supremum, esse, sedem Romanam*, ad qvod super aliqvo crimine delati, sint vocandi, ubi judicandi, & nonnisi literis Apostolicis purgati ad Ecclesias suas sint remittendi; conf. de consecr. dist. 1. *in sanctâ Apostolicâ* c. 41. pro vasis sacris non contrectandis nisi à sacratis hominibus.

II. TELESPHORI Archiepiscopi Romanæ urbis Decretalis Epistola.

§. I. Legitur hæc inscripta *Charissimis Fratribus & dilectissimis*

simis Episcopis. Estq; una ex illis, qvas Azorius Instit. moral. part. 1. l. 10. c. 18. *non ita certam & constantem apud omnes autoritatem habere fatetur:* nec mirum id, cum vel ipsa mendosa Consulatus Nomenclatura, qvâ *data* dicitur *Is. Cal. Martij, Antonino & Marco Consulibus,* (qvos tamen nunqvam simul Consules fuisse, Marian. Scotus aliiq; Pontificii scriptores observarunt) meritò suspectam reddat: nec minùs argumentum, qvod partim est, indictum Clericis *quadragesimæ jejunium,* (s. abstinentia à carne, qvia sc. prout *vita Clericorum* debet esse *discreta à vitâ & conversatione Laicorum:* ita & *in jejunio debet fieri discretio*) partim *Missa* in *nocte natali Servatoris celebrandæ,* officium, partim, *sacerdotum,* qvos nemo vel *accusare* vel *damnare* ausit, privilegium: qvippe qvi sint *venerandi, non insidiandi,* vel, prout in margine legitur, *incusandi,* etsi, qvia datur qvoqve apud veteres activum *insidio* i. e. *insidias facio,* nihil obstat, *insidior* qvoqve, etsi ut plurimùm *deponens,* aliqvando esse *passivum,* qvomodo Callistratus L. Capitalium §. q. de pœn. *Igni cremantur plerumq; servi, qui saluti Dominorum insidiaverint.* Nec illius adeo sanctioris nominis & ætatis Epistola est, utut sub illo schemate allegetur in Jure Pontificio dist. 4. *statuimus* ut *septem,* caus. 3. q. 5. *accusatores* q. 9. c. *accusatori* caus, 6. q. 1. *Sacerdotes,* & pro jejun. qvadrages. ac antiqvo nomine MISSÆ passim à Pontificiis.

12. Hyginii Papæ Epistola I.

§. 1. Citatur hæc à Baronio annal. tom. 1. ad a. 99. n. 10. ut probet: Johannis Epistolam primam titulo non caruisse: sed *inscriptam Parthis,* licet postea titulus exciderit. Sic enim habetur in hâc Hyginii: *Johannes ad Parthos: Tres sunt,* inqvit, *qui testimonium perhibent in terrâ, aqua, sanguis & caro: & tres in nobis sunt, qui testimonium perhibent in cœlo: Pater, Verbum & Spiritus*

& Spiritus S. & hi tres unum sunt. Citatur qvoqve sæpè à Gratiano. caus. 2. q. 7. *Criminat.* c. 3. q. 6. *Peregrina* c. 9. q. 3. c. *salvo in omnibus.* Suppositam tamen evincunt fasti Consulares. Data qvippe fertur 17. *Cal. Octobr. Magno & Camerino Consulibus*; cum tamen nuspiam ulla mentio Consulatus Magni circa hæc tempora habeatur: vid. not. in h. Epist. in Tom. 1. Conciliorũ l. 1. Judicat Blondellus contextam ex Synodi *Arelat. 1. Ithacij, Leonis, Mart. Adr. 1, & Ennodij aliorumq; diversimodè corruptis sententiis.* Sanè ex ipso nexu, qvi sine ullâ transitione & vinculo est, colligere licet diversam compositionem, sic ut pars prima, in qvâ agitur *de missione Filij à Patre & seipso*, alterius sit Autoris, qvàm qvæ seqvitur. Qvomodo enim hæc cohærent: *Nos in naturâ divinitatis, nec Patrem aliqvo tempore credimus præcessisse, ut major sit Filio, nec Filium postea natum esse, ut divinitate Patris minueretur. Cæterùm salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegio, nullus Metropolitanus absque omnium comprovincialium instantiâ audiat causas aliorum.*

13. Hyginii Epistola II.

§. 1. Hæc Athenienſibus est inscripta, & qvia meris conflat Centonibus Biblicis, materialiter omnino probanda (qvia tota compositio est sententiis scripturarum) Cæterùm supposititiam nihilominùs (1) persuadet assignatio Consulum Magni & Camerini, sub qvibus scripta, cum tales nulli apparuerint, sedente Hygino. Neq; tamẽ in stylo apparet adeò qvod culpandum. Qvod enim vocabulum *Consolari* usurpet, sic, ut sit idem, qvod *Consolationem accipere*, reprehendi non magis in hâc Epistolâ, qvàm Vulgato (qvi in talibus vocibus immeritò sæpè vapulat) debet, postqvam & olim & sub ipso Latinitatis regno sic voce usus Asinius Pollio citatus à Prisciano, & Q. Metellus Numidicus citante Gellio, & hunc Voss. in Aristarcho.

14. Pii

14. Pii I. Epistola I.

§. 1. Sub hoc nomine 4. extant Epistolæ, qvarum duæ sc. 3. & 4 perbreves ex Viennensi Archivo productæ leguntur unà cum judicio apud Baronium conf. de his Blond. p. 20.1. Nunc de prioribus saltim dicendum, & primò de prima ad universos Christi fideles. Allegatur aliqvoties in Jure Pontificio causâ 3. q. 4. Si *quis verò*, caus. 6. q. 1. *Oves Pastorem*, de consecr. dist. 3. & de pœn. dist. 3. c. *Nihil prodest*, de consecr. dist. 5. Supposititiam hanc probat (1) Mentio Consulum *Clari & Severi*, qvi nunqvam simul fuerunt *Pio* sedente. (2) Bellarminus, etsi citat pro *primatu Rom. Pontificis*, hanc & seqventem, *velut antiquissimas*, tamen non audet eas *affirmare indubitatas*. 3. Dogma de *Pascha celebrando die dominico*, probat ex *Hermâ* vel *Hermete*, cui *Angelus in habitu Pastoris apparuerit, & præter alia hoc mandatum dederit*, idqve factum *ad corroborandas animas quorundam dubitantium*: unde ille Pius, autoritate pontificali, *præcipit omnibus eadem servare, nec à capite quoquo modo dissidere*. Talia non conveniunt ætati sanctiorum horum Episcoporum ante Victorem. conf. Socr. l. 5. c. 22. 4. Nexus variorum argumentorum nulli, sic ut dissoluta omnia, ostendant consarcinatorem sine judicio. 5. Stylus qvoqve impurior, qvàm illa ferebat ætas e. c. *Persona, opinio & vita cujusq; initio rimanda est. Fides & conversatio initio scrutanda est.*

15. Pii I. Epistola II.

§. 1. Hæc Italicis fratribus inscripta, præprimis in eos, qvi *prædia divinis usibus tradita*, vel usibus secretorum cœlestium dicata, *humanis applicant usibus, quos sacrilegos*, pronunciat, est directa, qvo nomine etiam citatur & *commendatur à Baronio*, Annal. Tom. 2. p. 170. ad. A. 167. n 3. De cætero, ipsa maximâ ex parte integris textibus scripturarum prolixè descriptis constat, in qvarum sententiis fidelis nil qvicqvam desideraverit. Mendosa nihilominùs

minùs *Consulatuum* assignatio, qvæ eadem hic, eum illâ in Epist. 1. suspectam Epistolam reddit. Data qvippe Idibus Martii, Claro & Severo, Coss. Allegatur autem subPii illius nomine in Jure Pontif. c. 11. q. 1. c. 12. q. 2. c. 17. q. 4. & à Bell. *pro primatu Pontif.* l. 2. de R. P. c. 14.

16. Aniceti Epistola.

§. 1. Hæc qvoqve qvæ sub Anceti nomine fertur ad *Galliæ Episcopos* scripta, una est ex Epistolis illis Pontificalibus classis 1. in qvas *errores aliquos irrepsisse* Bellarminus haud ausus est negare, prout nec *indubitatas illas* affirmare, ut tamen habuerit pro *antiquissimâ*, qvàm adeò pro *primatu* s. *Monarchiâ Pontificis Romani* citat. l. 2. de P. R. c. 14. Tacet autem Baron. tum ad a. c. 167. n. 4. tum ad a. 175. n. 3. Allegat idem Bell. hanc Epistolam, velut Aniceti l. 2. de Mon. c. 40. probaturus inde tonsuram Monasticam, cum jubeat Anicetus *radi caput in modum sphæræ*, & tamen in eodem capite, probaturus, olim non tam *rasuram*, qvàm *tonsuram* in usu fuisse, *tonsos q; Monachos demisse quidem: sed ita tamen, ut cutis tecta maneret*, qvia prævidebat ex hâc Epistolâ *rasuram* potiùs, qvam *tonsuram* probari, *Aniceto Papæ*, qvi rasuræ meminerit, opponit *Dionysium, Cl. Alexandrinum, Optatum Milevitanum, Hieronymum, Athanasium, Epiphanium, Augustinum, Palladium, Isidorum, Bedam, Concilia Carthaginense & Toletanum*, qvæ nusqvam nominent *rasuram:* sed solùm *tonsuram:* qvin addit: *non est ea Epistola prorsus indubitata: fortè falsum titulum præ se fert.* Ita Bellarminum hîc confessorem habemus, &, dum alibi sub illius Aniceti nomine contra nos illam allegat, αὐτοκατάκριτον. Addatur illud famosum supposititi argumentum à fastis Consularibus: data qvippe scribitur Gallicano & Ruffino Viris Clarissimis Consulibus, qvos tamen simul Consules nec Baronius agnoscit, nec *probatiores alij scriptores.*

Citatur

citatur in Jure Pontif. dist. 66. *Archiepiscopus ab omnibus suæ provinciæ Episcopis ordinetur* caus. 9. q. 3. *Archiepiscopus nihil*, & ibidem c. 6. *Si autem aliquis metropolitanorum*.

17. Soteris Epistola I.

§. 1. Hæc tota Campanis inscripta legitur, & nihilominùs solùm alloqvitur illos, qvi sacerdotii dignitate sunt ornati, & munus publicum in Ecclesiâ exercent. Constat præterea Centonibus Biblicis & malè allegatis, & sine judicio copulatis.

§. 2. Data memoratur Nonis Maji, Rustico & Aqvilino Coss. & adeò anno 164. At tunc non sedit Soter: sed Pius, & inter Pium, ac Soterem intercessit Anicetus, qvi successit Pio a. 167. & sedit per annos fermè novem, sic ut Soter demum exeunte anno 175. vel 176. sedere cœperit. Qvomodo ergo illis Consulibus, qvi 11. annis gubernarunt, anteqvam sedit Soter, hic Pontificalem epistolam scribere potuerit?

18. Soteris Epistola II.

§. 1. Hæc Episcopis Italiæ *inscripta*, citatur à Durant. ut probet *thurificationem s. incensi oblationem, ab ipsis Ecclesiæ primordiis institutam fuisse*. vid. ille de rit. Eccl. Cath. l. 1. c. 9. n. 2. & Jure Pontif. dist. 23. can. *sacratas Deo feminas & Monachas*, qvæ, multò magis autem aliæ *feminæ, vestimenta altaris & vasa sacra prohibentur attingere*. Data est 10. Cal. Junii, Cethego & Claro Coss. qvales nulli fuere tempore Soteris, ut patet ex annal. Baron. ab a. 175. & seq. ad usq; a. 180. Conveniret potiùs talis Consulum nomenclatura juxta Baron. tempori qvo sedit Anicetus, non qvo Soter. Scil. Aniceti Papæ a. 6. M. Aurel. Imp. a. 10. Christi 172. memorantur Severus Cethegus, & Julius Clarus Coss. Soter autē, gente Campanus, Concordii Filius successerit a. C. 175. Aniceti 9. M. Aurel. Imp. 13. unde nulli tales reperiuntur Coss.

19. Elev-

19. Elevtheri Epistola.

§. 1. Elevtherus natione Græcus, gente Nicopolitanus Soteri Antecessori Pontifici & Martyri defuncto d. XXII. April. successisse in Pontificatu vel Episcopatu Romano fertur d. III. Maji a. O. R. 179. ad qvem, cùm ipsos Lugdunensis in Galliâ Ecclesiæ Martyres scripsisse, tum Irenæum adhuc Presbyterum, legatione perfunctum esse, literis publicis instructum (in qvibus iidem Martyres Irenæum ζηλωτὸν τῆς διαθήκης τοῦ Χριστοῦ appellarint) memorat Eusebius hist. Eccles. l. 5. c. 4. Triumphat inde Baronius, inveniisse se ratus, qvod pro primatu faceret P. R. velut universalis Episcopi, ad qvem sc. ipsi Martyres de rebus penes se gestis ex orbe terrarum retulerint, ac si non in hâc ipsâ causâ, cum Episcopis, in *Asiâ & Phrygiâ* iidem Martyres inde ex Galliâ communicarint, æqvè ac cum Elevthero, conf. Baron. ad a. C. 179. n. 52. & ad a. C. 180. n. 1. qvi idem meminit qvoqve sub Elevthero Romæ vixisse carioſum senem, Valentinum hæresiarcham, adversùs cujus Pseud Apostolos Florinum & Blastum Irenæus scripserit peculiare opus, eruditissimum ac celeberrimum, conf. Baron. ad a. 193.

§. 2. Ceterùm nobis hîc qvæstio, de illâ, qvæ sub tanto nomine celebratur decretali Epistolâ, *omnibus per Galliæ provincias Ecclesiis* inscripta, an illa reverà fuerit hujus Elevtheri sanctioris Romæ Episcopi, de qvo Irenæus l. 3. adv. hæreses c. 3. *Cum successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Elevtherius*? Affirmatur à Pseud-Isidoro, Turriano, & citatur velut genuina illius Elevtheri in Jure Pontificio c. 2. q. 1. *nihil contra* c. 3. q. 6. can. 7. c. 3. q. 9. *caveant* caus. 30. q. 5. c. *judicantem oportet*. Nos negamus. Ratio 1. ipsum argumentū, sive tenuiter nimis tractatū c. c. illud de *esciis irrationabiliter nō vitandis*, sive illis temporibus inusitatū c. c. *de accusationibus com-*

provincialium contra Clericos, de causis Clericorum inferiorum in judicio Metropolitanorum terminandis, causis autem Episcoporum in judicio Metropolitanorum ac Primatum quidem ventilandis: sed in *Romanâ velut supremâ Apostolicâ sede definiendis*, pro qvâ eminentiâ Rom. sedis, allegatur qvoqve in Jure Canon. caus. 3. qvæst. 6. can. 7. Ratio 2. nexus argumentorum cum probationibus alicubi absurdi.

§. 3. Ita nullam eſcam uſualem eſſe repudiandam probatur ex apparitione factâ Petro, & voce cœleſti: *ſurge Petre macta & ede!* Act. 10, 12. 13. cum ibi non de manducatione corporali: ſed ſpirituali, ſ. ipſarũ gentiũ in Eccleſiam receptione, illarumq; ad divinæ filiationis gratiam vocatione agatur, totumq; illud pro ratione viſionis Petro in ecſtaſi contigerit, cujus ſenſum ſublimiorem Petrus mox, occaſione legationis Cornelii, agnovit conf. v. 9. 10. 17. 19. Dantur plura alia cùm in ſtylo, tum in re ipsâ minùs Elevthero illo digna. Illud tamẽ memorabile, qvod de *Epiſcopis Galliæ* habet, illis *UNIVERSALEM à Chriſto Jeſu commiſſam eſſe Eccleſiam.* Ita enim perit Romano Pontifici illa ſuperbæ appellationis prærogativa, qvâ Univerſalis Epiſcopus, vel univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus appellatur, renitente jam olim vel talem ſimulante Gregorio M. & ante hunc Pelagio II. conf. diſt. 99. c. *Nullus Patriarcharum* & c. 5. *Ecce in præfatione Epiſtolæ.* Et id qvidem movit Baronium, ceteroqvi Epiſtolæ hujus aſſertorem, eandemq; faſtis Conſularibus haut repugnare agnoſcentem (*Maternum* ſc. & *Braduam* Conſules admittit a. 9. Elevtheri a. C. 187.) ut parum abfuerit, qvin totam Epiſtolam Catalogo Pontificalium veterum expunxerit: *Poſſemus*, inqvit, *haut injuriâ ſuſpicionem prætexere adulteratæ Epiſtolæ, quia Epiſcopis Gallicanis ſcribens, aſſerit, his univerſalem Eccleſiam à Chriſto commiſſam.* conf. Baron. ad a. 187. n. 1. 2. Prout illam ſpuriam agnovit Contius in not. ad c. 30. q. 5. c. 11. Ita ſc. qvod ceteroqvi, ubi pro ſede Romanâ militare poterat, contra nos vehementiſſimè defenditur, ſimùl, vel in unâ voce, offendit, plagam domi patitur,

& ſive

& sive illo autoritatis culmine dejicitur, sive adulteratum ab ipsis Romanæ sedis Promachis proclamatur, evidenti argumento, totum illud non amore veritatis, non studio vindicandæ veræ antiqvitatis: sed intentione propugnandæ immanis illius ambitionis & Primatus Romani, ab adversariis præjudicantibus defendi, unde qvicqvid illi militat, attollitur, qvicqvid vel exiguâ parte repugnat, adulterinũ habetur. Poterat & illud de delectu ciborum prohibito, videri Antipapisticum. Nec enim propter *sectam Cerdonis*, *Marcionis*, vel *Xerophagiam Montani* opus erat tale qvid scribi *Episcopis Gallicanis* conf. Baron. ad ann. 146. 14. & 179. 33.

20. Victoris Epistola I.

§. 1. Hic ille Victor Rom. Pontifex est, qvem, cum multas Ecclesias amputasset à communione, qvod in celebratione diei Paschalis, & observatione jejuniorum morem obtinerent à Rom. consuetudine diversum, magnâ libertate reprehendit Irenæus, qvod præter exemplum Antecessorum Episcoporum tam facilis esset ad amputandas Ecclesias, non in fide: sed in ritibus qvibusdam dissidentes. Accuratissimè & plenissimè refert hæc Eusebius l. 5. hist. Eccles. c. 24. sc. qvod *Victor in totius Asiæ Ecclesias per literas graviter invehi conatus esset*, non solùm Irenæo: sed *& ceteris omnibus Episcopis parum placuisse.*

§. 2. Omnes sc. Ecclesiæ Asiæ, antiqvâ qvadam traditione adductæ, statuebant XIV. die (qvo Judæi) festum Paschale celebrandum, in qvemcunq; hebdomadæ diem dies illa incideret, contradicentibus ceteris Ecclesiis, qvæ *die Dominico, quo Dominus Jesus à morte resurrexit*, solemne Paschale celebrandum censebant. Inde concilia & conventus varii, in qvibus decretum *pro die Dominico velut genuino Paschali.* Aliud qvippe in hâc causâ Concilium in Palæstinâ, cui præsedêre *Theophilus Cæsareensis* Eccles. & *Narcissus Hierosolymorum Episcopi*, aliud Episcoporum *Romæ* convenientium, qvibus præsedit *Victor*, aliud Episco-

ud Episcoporum Ponti, qvibus *Palmas* præsidebat, aliud Ecclesiarum Galliæ, qvas *Irenæus* Lugdunensis regebat Episcopus, qvi tamen ceteriq; longè plurimi, consentiebant, solemne Paschale non alio, qvàm Dominico die celebrandum.

§. 3. Episcopis autem in Asiâ coactis præsidebat Polycrates, qvi in Epistolâ ad Victorem Romanum causam pro *quartadecimâ Lunâ* facundè peroravit. Allegavit ille traditionem *Apostolicam* sc. provocando ad Johannē, *qui super pectus Domini recubuit*, ad Philippum Diaconum, Samaritanorum Evangelistam, ad Polycarpum Smyrnæ Episcopum & Martyrem, Thraseam, Sagirin, qvi Episcopi & Martyres, ceteriq;, longo ordine, diem Paschatis 14. Lunâ observarint. Qvin provocat ad Antecessores Episcopos, & in illo ipso Concilio tunc præsentes numerosissimos. Eadem ferè (etsi *mysterium resurrectionis Domini* ipsumq; sic solemne Paschale *solo die Dominico recolendum statuebat*) in Epistolâ ad *Victorem* habet Irenæus, in qvâ præcipuè Irenæi nominis mensuram implevit, & postqvam meminerat, *quemodo jam olim magna fuerit jejuniorum varietas & discrepantia*, addit: ἀλλὰ ἐλαττον πάντες ἔσπ ἐμμενουσιν καὶ ἐμμένομεν πρὸς ἀλλήλους i. e. *nihilominùs pacem inter se & ipsi retinuerunt, & nos retinemus*, mox subjungit: ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι, i. e. *Discrepantia jejunij tantum abest, ut unitatem vel consonantiam fidei solvat, ut eam potiùs commendet.*

§. 4. Deinde ad controversiam *de die Paschali* progressus, acriter coarguit *Victorem*, qvi id ausus, qvod nec antecessores Episcopi Romani, qvi cum Episcopis illarum Ecclesiarum, in qvibus alius dies observabatur, pacem & concordiam perpetuò coluerint, nec unqvam ob varium observati festi illius diei modum, ad excommunicationis sententiam processerint, allegato simul exemplo *Aniceti Romani, & Polycarpi Smyrnæ Episcopi*, inter qvos, cum qvædā exortæ essent controversiæ (qvarum caput, illa de die festo Paschali) charitatis tamen vinculū disruptū neutiqvam

qvam fuerit, qvin brevi Romæ collatione confestim conciliata inter eos pax, hâc lege, ut qvisq; suam liberè retineret observandi festi morem, unde & Polycarpus, qvi cum Johanne Discipulo Domini & cum reliqvis Apostolis diu esset versatus, illo more, qvem ab his observatum meminerat, celebrare deinceps voluerit, & Aniceto tamen, ut solitum Romæ celebrandi morem deponeret, persuadere noluerit, atq; ita alter ab altero in pace discesserit, sic ut omnes Ecclesiæ, cùm qvæ die XIV. celebrarint, tũ qvæ seqventi die Dominico, placidam inter se pacem & tranqvillitatem retinuerint. conf. Euseb. l. 5. c. 23. & seqventibus.

§. 5. Constabit exinde 1. non agnitam seculo 2. tum Irenæo, tum aliis Episcopis, illam Romani Pontificis infallibilitatem, & in Universal ẽ Ecclesiam & ejus Episcopos affectatã jurisdictionem, qvalem impudentissimè deinceps R. Pontifici arrogarunt Monarchici Canonistæ ceteriq; Pontificii. 2. Nec Conciliorum indicendorum, vel præsidendi in his autoritatem exclusivè fuisse Rom. Pontificis, cum, prout Victor in hâc controversiâ Romæ, ita Theophilus & Narcissus in Palæstinâ, Irenæus in Galliâ, Conciliis, præsederit. 3. Lubricum esse traditionis argumentum, cum in illâ Controversiâ non Victor solùm Romanus: sed & Episcopi Asiæ, ipse inprimis Polycarpus & Polycrates ad traditionem Apostolicam provocarint, & hanc longè splendidiùs legitimaverit Polycarpus, qvàm Victor. Ceterùm satis de his VICTORIS Romani, qvem ἄμετρα θερμανθέντα *supra modum iracundiâ inflammatum*, omnes in Asiâ πανηγυρικωδεστάτας *qvi die XIV. mensis Paschæ celebrabant, excommunicasse* meminit qvoqve & prolixè recenset Socrates hist. l. 5. c. 21. (22.) Nos saltim occasione Epistolarum, qvæ sub tanto feruntur nomine, hæc præmisimus. Neq; verò de Epistolis Victoris aliis in illo argumento & bello Paschali, publicatis, nunc inqvirendi locus est.

§. 6. Neq; immorabimur prolixiori examini illarum duarum,

duarum, qvas *Johannes à Bosco*, & ex hoc ac *Floriacensi Bibliothecâ* ad a. D. 198. §. 17. produxit in annalibus *Baronius*, unâ inscriptam *Desiderio Episcopo Viennensi*, alteram *Paracodæ successori, post Dionysium, Episcopo*. Neutri satis certa lux præfulget. Et *Desiderius Viennensis Episcopus*, hoc tempore in tabulis Ecclesiæ, Martyrologiis, ipsoq; ex his Adone, nullus: sed demum tempore *Gregorij M.* qvi *Desiderius*, jussu *Brunechildis*, lapidibus est obrutus, anno Domini juxta Adonem 583. juxta alios 612. Totum adeo κενόμυθον fuerint duæ illæ Epistolæ, qvæ extant in tomo 1. Conciliorum, sub hujus *Victoris* Pontificis & Martyris nomine, de qvibus nunc ordine agendum.

§. 7. Epistola prima inscripta est *Theophilo Episcopo & cunctis fratribus in Alexandriâ*. Supposititiam illam esse probamus, 1. *Theophilus Episcopus Alexandriæ* seculo 2. nullus: cum ex catalogis Episcoporum Alexandriæ apud Eusebium, Nicephorum & alios constet, nullum, ante *Theophilum illum Alexandrinum* Timotheo surrogatũ, Origenistarũ, & propter *Origenem* qvoqve *Joh. Chrysostomi*, hostem acerrimum, sedisse Alexandriæ *Theophilum Episcopum*. At illius Theophili ætas incidit in finem seculi 4. s. annum Christi 390. 2. *Sedente Romæ Victore*, sedit Alexandriæ *Demetrius Episcopus*. Si ergo ad Alexandrinum Victor scripsisset, ad Demetrium, non ad Theophilum Episcopum scribendum fuisset. Qvin testatur Catalogus Episcoporum, Demetrium illum ab annis *Eleutheri* Pontificis, adusqve *Pontiani* tempora per 40. annos Episcopum sedisse, ut nullus sub Victore locus relinqvatur Theophilo Alexandrino. Frustra Baronius excipit *à sciolo aliquo historiæ ignaro*, aberratum in inscriptione, & pro *Theophilo Cæsareensi*, scriptum *Theophilum Alexandrinum* vid. Baron. annal. ad a. C. 198. n. 6. cum & inscripta memoretur Fratribus in *Alexandriâ*, & vel invitus ipse agnoverit tandem, hanc inscriptam Theophilo Alexandrino, diversam planè esse ab alterâ scriptâ ad Theophilum Cæsareensem. Probamus

bamus 3. Data scribitur hæc Epistola 13. Kal. Augusti, *Commodo & Gravione Consulibus.* At tales Collegas Consules, per omnes Victoris annos Pontificales, ne apud ipsum qvidem Baronium reperire licebit, unde vel ipse Baronius iterum Confessor agnovit: *non levem huic impostur æ suspicionem, quod falsis sit Consulibus notata.*

§. 8. Errant ergo non solùm Canonistæ, qvi velut veram antiqvi illius Victoris decretalem allegant, *de consecratione* dist. 3. *celebritatem* caus. 2. q. 6. can. 7 *si quis putaverit* caus. 3. q. 6. *accusatus*, etsi qvæ ex hâc ibi citantur, nomen habent Sixti 2. sed & Bellarminus, qvi pro *Papali Monarchiâ, & Rom. Pontifice Universalis Ecclesiæ Pontifice* probando, allegat, velut genuinam Victoris hujus Epistolam, l. 2. de R. P. c. 14. & c. 31.

21. Victoris Epistola II.

§. 1. Hæc Africanis Episcopis inscripta à Pontificiis sub tam antiqvo & sanctiore nomine nobis objicitur e. c. pro probandâ sedis Rom. superioritate & universali mandandi autoritate, ac jure appellationum ad sedem Romanam dist. 90. c. 12. Lindano in Panopl. l. 4. Nos illam pariter supposititiam asserimus & probamus 1. argumento, qvo dum sedi Romanæ arrogat jurisdictionem & in Africanas Ecclesias & universos Africæ Episcopos, prodit se spuriam & falsi manifestam. 2. Incipit contra leges Epistolæ à voce *enim*, sc. hoc modo: *semper enim in æterno consilio Dei mansit humani generis incommutabiliter præordinati reparatio.* 3. Stylus talis est, ut alterutrum dicendum, sc. vel Victorem illum illo ipso Latiniore adhuc ævo ignorasse Grammaticam, vel hanc Epistolam non esse illius Victoris, e. c. *Perlatum est ad sedem Apostolicam, aliquos vestrum nocere Fratres velle.* 4. Dimidium ferè Epistolæ ex Isaiâ c. 24. sine justâ satis ratione

tione nexus & tam prolixæ allegationis est descriptum. Data memoratur Kalend. Septembr. Laterano & Ruffino Viris Clarissimis Consulibus. Et tales qvidem ad annum C. 199. Severi Imp. qvintum, Victoris sextum, Collegas Consules agnoscit Baronius: ceterùm illa ἀναδοχὴ Consularis Baroniana, domi alicubi signum contradictionis est.

§. 2. Ita ergò *seculi* qvoqve *secundi* Rationarium Ecclesiasticum hîc concludimus, in qvo qvidem qvod *numerum numerantem* in apparatu classis 4. p. 158. §. 11. expressum, in ipsâ ἐξεργασίᾳ numeri numerati, binarii Epistolarum accessione locupletaverimus, ex ipsâ R. Ecclesiæ Codic. ipsorumq; Pontificiorum, qvi judicium de his Epistolis publicarunt, Doctorum, ingenti in numeris, genuinarum vel suppositiarum variatione, tantò benigniùs Consultor sincerus excusabit, qvantò liberalius est, plura præstare, qvàm in apparatu ipsoq; sic præliminari *transcursu* promittere: qvin pro *binis* Alexandri I. *tres*, salvis *binis* Sixti, pro *unâ* Pii I. *duas* admittendo, numeros ibi 19. hîc binario auctos & sic, 21. facilè conciliabit. De cetero, fuerint sancti omnes, qvin & ipso sanguine profuso Martyres, *Anacletus*, *Evaristus*, *Alex. I. Sixtus I. Telesphorus* nonagenarius, *Anicetus*, & juxta qvosdam *Victor*, (vid. Baron. ad a. 203.) Autores tamen harum decretalium non fuerunt. Hoc (1) *materia* Epistolarum, hoc (2) ingentes *Antichronismi*, hoc (3) mendax *Consulatuum* assignatio, hoc (4) *stylus*, hoc (5) veterum scriptorum *Catalogi*, hoc cetera cuncta minutiùs à nobis excussa loqvuntur.

RATIONARII Script. Eccles.

Seculi II.

FINIS.

(:o:)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910760/phys_0212
DFG

hil habuisse proprij, accommodari posse, statuerit, agnovit tamen, *melius sensisse Nicolaum, erravisse Johannem*, imò sententiam Nicolai fundari in *doctrinâ & praxi Christi* Matth. 10. 8. 9. 10. non obstantibus *loculis Judæ τὸ γλωσσόκομον* habentis Joh. 12, 6. c. 13. 29. Ultima demum exceptio Bellarminii, *erravisse quidem Johannem: sed non in re fidei*, nec Nicolao id definitum *velut articulum fidei:* nec Johannem *directè id impugnasse, quod Nicolaus* affirmarat. Ceterùm controversia de *sancto & meritorio apud ipsũ Deũ*, qvæstio fid[illegible] articulo fidei est, & qvod Nicolaus definivit, id velut [illegible] definivit, cujus contradictorium dum Johannes, [illegible] non potest non undiqvaq; hic constare [illegible] Sufficit confessio prior Bellarmin[illegible] *bus conciliari nequeunt.*

§. 8. Da[illegible] rima, qvæ ost[illegible] de *discretis* in[illegible] corum, ten[illegible] ubi sacer[illegible] stinct. 2. c. [illegible] ibid. dist. 1. c. 14. [illegible] *velo, quæ si fuerint vetu*[illegible] *res illorum baptisterio inf*[illegible] *ne introeuntium pedibus inquine*[illegible] *ris 39.* (4) de *mortuis non obvolvendis* [illegible] *iaconi non operiendis pallâ* vel *vestimentis altaris*, sub pœn[illegible] ensionis ab officio, & anathematis in Diacono *per triennium & sex menses*, in Presbytero autem, *non commovente* inferiorem *clericum*, per 10. *cum dimidio annos* ibid. c. *Nemo per ignorantiam* 40. (5) De 3. *distinctis gradibus illorum, quibus sint commissa sacramenta divinorum secretorum sc. Presbytero, Diacono, ministro, & de reliquiis fragmentorum*

timore & tremore custodiendis
us 23. Tale (6) qvod ibidem
ractandum, qvod in altari re-
ta esse offerenda, quanta populo
aliquid remanserit, non esse in
ricorum diligentia consumen-
corporis Domini in sacrario re-
sacræ illi portioni debere miscere
m dare 6. horarum. (4) De
ilè aliqvid *dandum extero Cle-*
nster, an *à mulieribus mundi*
ad comedendum *panes sacros,*
pse, & socii, jam per triduum
11. §. 6. conf. ibidem §. *Præcipi-*

ecretali Clementis primâ alle-
. 2. sc. *Patriarcharum & Episco-*
dam Ethnicorum Ordinationi,
ganismo fuerint antea Archisa-
iscopi vulgares: sed *Patriarchæ*
es: in ceteris, *Archiepiscopi, in*
non bini, Episcopi. Tale (8)
cavetur, ne confundantur *no-*
rchiepiscoporum, Metropolitano-
em vel Metropolitanum nominet,
erentiâ qvasi specificâ, cum qvo-
n qvoad præcedentiam dignita-
ostolorum, inter qvos non *par*
s præfuerit, idq; totum, eviden-
us Clementis deducitur ex præ-
è contra rationarium simplicio-
rum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910760/phys_0214
DFG